LEGIS
DVODECIM TABVLARVM
RELIQVIAE

EDIDIT CONSTITVIT PROLEGOMENA ADDIDIT

RVDOLFVS SCHOELL

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
A. MDCCCLXVI

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

PATRI OPTIMO

D · D · L · M

PRAEFATIO

De lege XII tabularum cum anno MDCCCLXIV ordo philosophorum Bonnensis litterarum certamen iussisset ita fieri, ut ex lege 'quae supersunt diligenter colligantur, ad normam artis philologicae constituantur, ita denique disceptentur, ut non tam rerum enarratio quam crisis verborum et ratio linguae spectetur': eius quaestionis solvendae periculum maiore cum fiducia quam peritia in me recepi. Namque hoc ab initio intellexi non posse proposito satis fieri intra fines ab amplissimo ordine constitutos, verum diligentiore rerum si non enarratione, at pertractatione opus esse, quicunque cum fructu versari in his reliquiis constituendis voluerit. Inde novus dabatur campus in quo studia collocarem. Quem tamen periculum fuit, ne pererrarem potius quam percurrerem, ni contigisset mihi hospite uti benignissimo eodemque duce firmissimo Eduardo Boeckingio, qui de iure respondere consulenti numquam dedignatus quotiens familiari disciplina auxerit scientiam, aciem exacuerit, viam recte ingressuro facem praetulerit, ingressum consilio, hortatione, denique exemplo et auctoritate praesens adiuverit, pia recordatione libenter recolo: singillatim perstringi nec potest nec fas est. Veram autem gratiam viro egregio ita demum rettulisse mihi videbor, si uno alterove huius libelli argumento non frustra me hac disciplina usum esse ipsi probavero: quod si quid me latuit invitum sive quid eorum quae proposui recto talo stare non videbitur, vel id illum pro singulari eius indulgentia aequi boni facturum confido, apud ceteros earum rerum arbitros veniam me impetraturum spero.

Iam vero cum scriptionem meam ordo, quam praemio ornaret, dignam indicasset, ea ut publici iuris facta et externae elegantiae decus acciperet et aliquanto emendatior prodiret, insigni Friderici Ritschelii praeceptoris humanissimi deque meis rebus optime meriti beneficio factum est: qui et bibliopolam honestissimum Lipsiensem mea caussa, ut sumptus libelli edendi praeberet, adduxit et bibliothecae Bonnensis subsidiis utendi copiam mihi largissimam paravit. Eodem intercedente Martinus Hertzius ex penu sua Gelliana meum in usum quidquid ad legem pertineret deprompsit mihique ita commodavit, ut coniunctam cum solita et saepe aliis experta viri illustrissimi munificentia comitatem non satis dilaudare possim. Denique ne hoc quidem in opere defuit mihi Ottonis Jahnii praeceptoris in paucis colendi quam semper praestitit cura et auctoritas. Quorum virorum eximia in me librumque iam proditurum merita cum tandem publice praedicare cum gratissimi animi testificatione liceat, tum non indignum hoc istis meritis monumentum pervelim ab ipsis agnosci.

Reliquiarum edendarum instituti quoniam in prolegomenis rationem reddidi, plura praefari nil attinet: unum addo de testimoniis legis in alteram reliquiarum columnam coniectis. Quae cum plena exhiberi ipsa fragmentorum condicio flagitarit, cum tamen modum servare in hac re haud sane facile fuerit: hoc adfirmo nihil me recepisse nisi quod reapse ad legem pertinere aut ex interpretatione legis profectum esse persuasum habeam.

Verum dum prelo premitur libellus, subnatum est eorum quae aut addidici aut quae secundis curis edoctus sum spicilegium: quae cum suis locis reponi non iam possent, ad calcem huius praefationis subieci.

p. 1, 3 cf. Th. Mommsenus in Annal. inst. archaeol. 1858 p. 194. 196 sq., de tribunorum aediliumque quam fuisse quidam tradunt Livii auctores legis curatione recte iudicans ib. 185 n. 1. 193 n. 3. At idem quod in quaestt. rom. p. 300 sq. n. 29 ad

promulgationem tabularum aenearum ipsam quoque decemviris a. 304 tribuendam inclinat, nimius est in Livii et Diodori testimoniis discernendis et ad certa consilia revocandis.

p. 15 not. extr. adde Mommsenum in Annal. inst. archaeol. 1858 p. 197 n. 1 qui nodum dissecat Pomponio quoque 'aereas' pro 'eboreis' tabulas tribuens.

p. 16 n. 1, 3 Eandem opinionem Mommsenus amplecti videtur l. l. p. 194 n. 3.

p. 18 not. De Leone Narbonensi scrupulum temere iniectum accuratior consideratio exemit: cum Sidonii de Narbone carmen inter a. 462, quo urbs a Gothis capta est, et 466 Theodorico etiamnum regnante conditum esse ex vv. 68 sqq. conspicuum sit. Narbone igitur Leo Tolosam vocatus est ad consiliarii munus capessendum: de quo viro omni scientiae laude inter aequales insigni praeter Sirmondi notas ad Sidon. p. 51 et 81 Aschbachius consulendus est Hist. Wisegoth. p. 158 sq.

p. 33 extr. cet. vid. Keilius ipse praef. ad Charisium p. XXVII not.

p. 50, 28. Non dubitat de Servianae legis fide Mommsenus, qui dum clientelae rationes rimatur Quaest. rom. p. 355 sqq., ea lege affirmat praesidium clienti quod ex iure civili nullum suppetierit a patroni iniuriis, publicum paratum fuisse ita, ut patronus tamquam proditionis contra ipsum populum commissae poena afficeretur (p. 384 sq.). Nihilo tamen magis quod eam statuit eisdem verbis quae tradit Servius auctis adeo additamento ex Dionysi l. c. repetendo '*Diti patri sacer esto*' et in regiis legibus et in XII tabulis perscriptam extitisso, persuadendi vim habet: cum praesertim ipsum haud fugerit in his nimis in universum propositis certam normam desiderari.

p. 51 n. 3, 1 clarius suam Mommsenus opinionem professus est in Annal. inst. arch. 1858 p. 194. ib. n. 1.

p. 64, 3. Pro 'quae fuerit ratio' scribere volebam 'qualem fuisse rationem veteres ipsi putarint'. Neque enim de anno decemvirali, id est vetusto Numae anno ad exemplum Attici octo annorum cycli reformato — etsi via instituta quominus constanter teneretur, coniuncta cum religione inscitia prohibuit — quae certissimis Ideleri et Mommseni cum computationibus tum coniecturis explorata sunt (Idelerus Chron. II p. 65 sq. Mommsenus Chron. rom. p. 28 — 40), eis fidem

denegare aut volo aut si velim possim: verum hoc solum meum erat agere, ut ipsa legis praeceptorum vestigia apud auctores veteres relicta conquirerem. Atque huius fastorum correctionis praeter Ovidianum testimonium ex Varrone haustum, de quo vere indicat Mommsenus p. 32, idem monet significationem etsi obscuriorem nec fido digniorem deprehendi in Dionysi Halicarn. de decemviris alterius anni narratione X 59 ἐν δὲ τῷ κατόπιν ἔτει παραλαβόντες τὴν ὑπατικὴν ἐξουσίαν οἱ σὺν Ἀππίῳ Κλαυδίῳ δέκα ἄνδρες εἰδοῖς μαΐαις· ἦγον δὲ τοὺς μῆνας κατὰ σελήνην καὶ συνέπιπτεν εἰς τὰς εἰδοὺς ἡ πανσέληνος κτλ. Nec de intercalando quin diserte praescriptum fuerit in lege, dubitandi ansam fuisse iam intellexi eique praecepto suum inter fragmenta locum tribui. Nimirum cum in nova intercalandi regula, qua intra quaternos annos duo menses, alter viginti trium dierum, viginti duorum alter interpolarentur, cardo totius novationis decemviralis versaretur, tum probabile est Sempronium Tuditanum et Cassium Heminam annalistas non aliunde nisi ex ipsa lege XII tabularum suam de illa rogatione mentionem petiisse.

Denique postliminii iure huic loco restituendum est — quod nollem factum ut eripi mihi paterer — tertium quo compleatur numerus splendidorum Mommseni de XII tabulis meritorum. Nam qui fastos reddidit decemviris, idem ab isdem etiam **nummorum signandorum** institutum profectum esse, cum antea tantummodo aeris sive rudis sive signati usus fuisset, feliciter odoratus est Hist. rei nummariae Rom. p. 175 sq.: unde sequitur ne hoc quidem in genere ab Atheniensis legislatoris fastorum eiusdem et rei nummariae administratoris exemplo defecisse decemviros Romanos. Quam quidem rem cum et ex legis XII statutis de sacramento deque iniuriarum poenis (II 1. VIII 3. 4. add. 10.) et ex temporum ratione inter varias leges, quibus de multa pecorali eiusque in pecuniariam mutatione cautum esse traditur, intercedente ita ille illustraverit, de ea ut vix quidquam restet dubitationis, tum disertam eiusdem significationem nescio an Gaius subministret, licet diversa confundat Inst. I 122 (Inc. fr. 9) '*ideo autem aes et libra adhibetur, quia olim aereis tantum nummis utebantur, et erant asses, dupondii, semisses et quadrantes, nec ullus aureus vel argenteus nummus in usu erat, sicut ex lege XII tabularum intellegere possumus*'. —

Tametsi monendum est in illis XII praeceptis nummi genus exprimi solitum non fuisse. Nam sicut VIII 4 habet '*si iniuriam faxsit, XXV poenae sunto*' — quibus vim faciunt Gellius '*XXV asses s. aeris p. s.*' XVI 10, 8. XX 1, 12, '*quinque et viginti sestertiorum*' adeo Paulus in Coll. II 5, 5 praepostera cogitatione inferentes (cf. Prolegg. p. 78. Mommsenus l. c. p. 302 n. 38): — ita idem facili negotio agnoscas VIII 10 in XXV **aeris** poena propter arborem succisam statuta Plin. XVII 1, 7; nec magis VIII 3 additum a Paulo '*sestertiorum*' — de assibus Gaius loquitur Inst. III 223 — confirmat quod iam innuit locutio '*poenam subito*' totum praeceptum de osse fracto pariter atque illud de iniuria facta a iureconsulto non tam citari quam describi.

p. 76, 16 add. Tab. Bant. v. 8 '*pis — comono hafiert meddis*' i. e. qui s. quisquis comitia habebit magistratus (vid. Kirchhoffius in libro 'das Stadtrecht v. Bantia' p. 79). Sed idem dicendi genus praeter Oscorum etiam Umbrorum et Volscorum dialectos servasse docemur Tab. Iguv. VI 6, 53 sq. '*pis est totar Tarsinater*' i. e. quisquis est civitatis Tadinatis (cf. Aufrechtius et Kirchhoffius Mon. ling. umbr. II p. 254 sq.), et tit. Veliterno ap. Mommsenum Ital. infer. dial. tab. XIV '*pis Velestrom fasia*' i. e. quisquis Veliternorum faciat (cf. Mommsenus p. 324. Corssenus de Volscorum lingua p. 13 sqq.).

p. 81, 27 'arvorsarius' quod testatur Velius Longus p. 2232 P. bis comparet in lege repetundarum C. I. L. 198, 20 '*arvorsario edat eos*' et '*facitque coram arv(orsario)*'.

p. 81, 31 Gloss. Amplon. p. 270 n. 331 Oehl. '*arciti arcessiti vocati*'.

p. 82, 14 Apprime faciunt ad stabiliendam de 'arseda' sententiam Excerpta Pithoeana ex vet. gloss. ubi est '***adseda** sella quadriiugis*' (in Dion. Gothofredi Auct. lat. ling. App. p. 51). Similiterque '***adsella** sella quadriiugis*' Gloss. Isidori.

ib. not. Gloss. Amplon. p. 272 n. 58 '*adferial aqua qua mortuus lavatur*'. — Ceterum etiam in 'arundine' 'undam' Pottius (Quaest. etym. I² p. 699, ubi suam de 'ar' et 'ad' sententiam repetit, cf. 275), in 'ripa' 'aquam' Benfeyus (in Kuhni Annal. ling. comp. II p. 310) cum 'ar' praepositione iunctas deprendere sibi visi sunt: de quo viderint peritiores.

p. 85, 1 Gloss. Amplon. p. 294, 90 '*duunt tribuunt*'.

p. 90 n. 1 Ab angerendo, quo redire 'angustus' probabile est, videtur etiam Diva Angerona s. Angeronia repeti haud secus atque ab agendo Agonius, Agonia, agonalia, a pellendo Pellonia, a fluendo Fluonia, a favendo Favonius, ab abeundo et adeundo Abeona, Adeona.

p. 94 n. 1 Exc. Pith. '*faria verba multa*'. Gloss. Labb. '*omnifaria* πλείστῳ λόγῳ ἢ παντὶ τρόπῳ, παντὶ σθένει'. ib. '*plurifariam* πλειστολόγως ἢ πολλῷ λόγῳ'.

p. 96, 16 Exc. Pith. '*noxit noceat*'. Id. in Gloss. Isid. cod. Vossiano, teste Oehlero in Iahni Annal. suppl. vol. XIII p. 247.

p. 99, 29 Gloss. Amplon. p. 268 n. 159 '*adescit aderit*'.

p. 103, 25 Praeterea memorabile extat exemplum in Notis iuris Lugdunensibus p. 281 Momms. (in Keilii Gramm. lat. vol. IV) 'ŪC *usus capio*'. — In Notis quidem ex cod. Reginae p. 284 M. '*usucapio*' est, sed ibidem '*usufructus*' quoque, qui '*usus fructus*' Probo p. 273 et Not. Magnon. p. 300: idemque sine dubio restituendum Notis Papianis et Einsidlensibus p. 330, 31 pro 'UF·U *sus fructus*', non quod Mommseno placet '*uersus fructus*'.

p. 110, 35 In isdem Labbaei gloss. quae comparent 'aut ἤ. ἐάν, εἰ. καί', 'an εἰ, ἤ πευστικῶς. ἆρα, πότερον. ἐάν δέ. ἀντί', denique in graecis 'εἰ ἀντὶ τοῦ ἐάν *an sin*, *si*': mira in his explicatio suspitionem movet 'ast' cum 'aut' et 'an' ab homine indocto qui ex bonis auctoribus suam glossarum farraginem concinnavit temere confusum esse: quae res quam non aliena sit ab istorum glossariorum origine, commodiore loco me mox comprobaturum spero.

p. 140. VIII 1. add. Augustinus C. D. II c. 12 in.

Dabam Vimariae
mense Ianuario a. MDCCCLXVI.

R. S.

PROLEGOMENON

CAPITA QUATTUOR

CAPVT PRIMVM.

DE DVODECIM TABVLARVM MEMORIA.

Lex duodecim tabularum a decemviris a. u. CCCIII et CCCIV condita, a. CCCV L. Valerio M. Horatio cos. in aes incisa publice proposita est (Livius III 57, 10. Diodorus XII 26). Sed post annos sexaginta capta a Gallis urbe tabulae aeneae sive incendio absumptae sive inter praedam asportatae interierunt: neque enim alia dici potest Livii esse sententia etsi iusto ea brevius expressa verbis hisce VI 1, 9 sq. '*Hi* (sc. tribuni consulares recuperata urbe creati) .... *nulla de re prius quam de religionibus senatum consuluere. In primis foedera ac leges — erant autem eae duodecim tabulae et quaedam regiae leges — conquiri quae comparerent iusserunt.*' [1]) cf. § 2. Nimirum ipsis tabulis deperditis exempla hic illic servata colligenda curarunt, quibus ad pervulgandam legem uterentur. Atqui hinc non sequitur quod vulgo occupari video aeneas denuo refictas esse XII tabulas: id quod nec tradit Livius nec sensisse eum arguit iuncta cum XII tabulis legum regiarum mentio. Immo quod statim addit '*alia ex eis edita etiam in volgus; quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa*' — quibus apprime convenit quod Cicero ad Att. VI 1, 8 ex annalistis refert occultatam fuisse quodam tempore eam tabulam quae fastos contineret a Cn. Flavio postea prolatos [2]): eis maxime de publicata

---

[1]) Hinc autem quo iure etiam contrarium effici posse statuat Puchta Instit. I § 55 p. 192, non video.

[2]) Non est igitur cur ad regias tantum leges Livii verba cum novissimo editore referas. Ne ex Ciceronis quidem loco aliud quidquam concludas nisi in exemplis editis primum consulto omissos fuisse fastos

lege, non restituta cogitare iubemur. Nec magis verisimilem reddit istam opinionem tota fragmentorum superstitum condicio: quam rem mox pluribus exequar. Omnino ne egebant quidem eiusmodi restitutione Romani, quorum omnium in ore ac mentibus rudibus adhuc et incultis penitus infixa erat legis memoria: qua quidem lege et aequi iuris inter cives tamquam palladium statutum et insigne linguae scriptum monumentum editum esse gloriarentur. Inde igitur effectum est, ut legem bene nosse inter primaria civis Romani officia publica censeretur atque ita — quae erat populi simplicitas et antiqui instituti conservator animus — per tria fere saecula et forensis usus et institutionis domesticae hoc non solum fundamentum, sed ipsum argumentum permaneret. Nam quidquid per hoc temporis spatium vigentibus iuris studiis collatum est ad ius civile provehendum et excolendum, id omne aut in actione legis aut in interpretatione ponebatur [1]): qua in re quantae religioni fuerit in ipsis legis verbis, vel ubi sufficere non viderentur, persistere, insigne exemplum Gaio aliisque memoratur, quod '*eum qui de vitibus succisis ita egisset, ut in actione vites nominaret, responsum est rem perdidisse, quia debuisset arbores nominare eo quod lex XII tabularum, ex qua de vitibus succisis actio competeret, generaliter de arboribus succisis loqueretur*' (Gaius Inst. IV 11. Dig. 47, 7, 1 sqq. cf. Plinius N. H. XIV 1, 9). [2]) Itaque etiam in primo iuris civilis codice quo omnis quae tunc comparuit iuris materia quasi horreo comprehensa est, in libro dico Sex. Aelii Cati (cos. a. IↃLV) qui 'Tripertita' inscribitur, lex XII perscripta exhibebatur adiuncta et interpretatione et legis actione. [3]) — Quae tamen auctoritas ut impedimento non fuit, quominus quaedam ex legis praeceptis iam illa aetate abrogarentur — sicut plebeiscito Canuleio conubium plebi cum patribus datum est, quod ne esset lex sanxerat; aut aliquanto post lege Aquilia omnia quibus in XII de damno iniuriae cau-

---

ac postea demum, cum iam per Cn. Flavium publici iuris facti essent, additos.

[1]) cf. Pomponius Dig. 1, 2, 2 § 5. 6.

[2]) Interpretationis exempla cf. Gaius I 165. Inst. I. 1, 17. Ulpianus D. 26, 4, 3 pr. 1. Paulus in Collatione leg. Mos. et Rom. XVI 3, 3. D. 50, 16, 62. 233 § 2. 47, 3, 1, 1 al.

[3]) cf. Pomponius D. 1, 2, 2 § 38, quo de infra plura dabo.

tum esset sublata sunt[1]); etiam Plaetorii plebeiscitum, quo temporis agendi finis aliter atque ex lege constitutus est[2]), his

[1]) Ulpianus D. 9, 2, 1.

[2]) Quamquam de eo prorsus diversam sententiam protulit O. Iahnius ex Censorini loco de die nat. c. 24 *'Hinc suprema: quamvis plurimi supremam post occasum solis esse existimant, quia est in XII tabulis: "Solis occasus suprema tempestas esto." Sed postea M. Plaetorius tr. pl. scitum tulit in quo scriptum est: "Praetor urbanus qui nunc est quique posthac fuat (flat codd.) duo lictores apud se habeto isque (s. iisque) supremam ad solem occasum iusque inter cives dicito."* Quae verba Iahnius C. Lachmanni coniectura *'usque supremam'* nisus in eam partem accepit, quasi hac lege iussus esset praetor 'usque ius dicere per supremam ad ipsum solem occasum, etsi praeco supremam paulo ante solis occasum pronuntiasset et iudices dimisisset.' At his etsi Rudorffio quoque probatis (Hist. Iur. Rom. I 103. II 66 n.) equidem adstipulari neutiquam possum. Namque cum mira hinc efficitur atque molesta eiusdem rei in utraque lege repetitio; tum vero omni fide caret praeceptum XII legis aliquando abolitum fuisse et lege Plaetoria restitutum. Immo quid rei sit certissime elucet ex Varronis de l. l. loco VI 5 *'Suprema summum diei, id a superrimo. Hoc tempus XII tabulae dicunt occasum esse solis: sed postea lex Plaetoria id quoque tempus iubet esse supremum, quo praeco in comitio supremam pronuntiavit populo.'* Quo loco duo simul edocemur: primum reapse abrogatam esse antiquam legem a Plaetorio ita quidem, ut pro solis occasu — quae est proprie suprema tempestas — finis statueretur id tempus, quo suprema pronuntiaretur, id est teste Plinio H. N. VII 60, 212 quo a columna Maenia ad carcerem (arcem Urlichsius) sidus inclinaret. Ac respondent sibi haud dubie: *'sol occasus suprema tempestas esto'* et *'id quoque tempus iubet esse supremum.'* Deinde autem Censorinum ut alias saepo ita hic quoque Varronem exscripsisse ut per se credibile est ita verbis *'sed postea'* luculenter evincitur: quae quidem cum Varroni optime conveniant, tum a Censorini consilio aliena sunt. Nam quod Iahnius utrumque existimat lege Plaetoria uti, qua demonstrent supremam non post occasum solis demum incipere, sed ex quo suprema dicta sit, immerito ad Varronem refert quod soli Censorino tribuendum est atque adeo crimini vertendum. Quid enim? Ecquis sanus homo ex verbis legis hisce: *'Sol occasus suprema tempestas esto'* hoc efficiat supremam post solem occasum esse, id quod plurimos inde colligere affirmat auctor? Id si quidem quisquam credidit, saltem non hanc ob caussam credidit. Sed sive revera ista opinio latius patebat sive in scirpo nodum quaerit Censorinus, certe mirifice abutitur loco Varroniano ad difficultatem sibi ipsi creatam convellendam. A Varrone enim certum eiusmodi consilium plane abest: qui ansa data ad vocabulum *'suprema'* diversarum legum de suprema diei iudicialis tempestate mentionem inicit. Quas leges in suum usum arreptas Censorinus cum ita inter se opposuerit, ut pro vera argumenti discrepantia

proximis saeculis videtur attribuendum esse —: ita ne ipsa quidem his abrogationibus ullo pacto tum labefactata est.

Nec minore constantia et studio per idem tempus ad erudienda ingenia ac linguae scientia et usu imbuenda lex tamquam unum et firmissimum adminiculum usurpabatur. Etenim ex quo pueri vel domi educabantur vel in ludos 'laevo suspensi loculos tabulamque lacerto' ad litteratorem mittebantur, XII tabularum libellum et manu versare et mente tenere adsuescebant [1]): unde illi ut ex Homero suo Graeci adulescentuli simul discendi materiam haurirent et paterni moris ingeniique amorem statim a teneris imbiberent. Ac sane equidem haud scio an, quid utrique populo proprium fuerit, hoc diversae disciplinae indicio quam quo certissime dignoscatur. Hinc autem effectum est, ut legis exemplaria scripta mox plurima circumferrentur — id quod ipsa vox '*libellus*' significat apud Ciceronem de or. I 44, 195: quin ex eiusdem verbis l. II de legibus 23, 59 '*discebamus enim pueri XII ut carmen necessarium*' etiam in metricam formam aliquando XII tabulas fuisse redactas eamque vix aliam atque Saturnii numeri cum summa probabi-

---

alienam inferat conclusionum inde probandarum: idem tamen incaute servata coniunctione temporali '*sed postea*' fraudem prodidit. Quin ne Plaetorii quidem plebeiscito probat quod probaturus est. Etenim verba '*ad solem occasum*' ab eo pl. sc. abfuisse necesse est: quo quidem a n t e occasum solis finis constitutus sit. Ac parum apte ea in continuum verborum ordinem inseruntur: quae offensio non tollitur Lachmanni coniectura; nam '*usque supremam*' etiamsi probabile videretur, nullo modo significat 'usque p e r supr.', sed 'usque a d supr.' Neque tamen ideo condemnanda sunt cum Carrione: immo suspitio est ipsum Censorinum ea explicandi gratia legis verbis ex alio Varronis loco descriptis addidisse, unde id ipsum efficeret quod e re sua esset. Opponit enim '*ad solem occasum*' priori '*p o s t o. s.*' parum ille curans rei veritatem. Ceterum confiteor haud mihi placere Lachmannianam emendationem et propter vocabuli '*usque*' cum accusativo iuncti usum argenteae demum latinitati, non antiquae legi imputandum et propter verba '*iusque inter cives dicito*' quasi appendicis loco adglutinata: cum tamen his potius quam illis '*duo lictores apud se habeto*' temporis notationem addi expectes. Hinc putaverim '*isque*' s. '*iisque*' corruptum esse ex '*iusque*', quod ipsum deinde alieno loco illatum sit, locumque ita refinxerim: '*duo lict. apud se habeto i u s q u e a d supremam* (*ad solem occasum*) *inter cives dicito.*'

[1]) cf. Cicero de legg. II 4, 9. 23, 59. Plautus Most. I 2, 45 v. 126.

litate suspicatus est exemploque firmavit suspitionem Ritschelius in Poes. saturn. spicileg. I (Bonnae 1854) p. 5 sq.[1])

Atqui haec omnia suam vim habebant ad immutandam paulatim pristinam legis condicionem. Accidit enim quod solet accidere in re usu diuturno trita atque ore et auditione celebrata: ut antiquus ille sermonis color sensim sensimque absttergeretur et ad propriam cuiusque aetatis consuetudinem magis accommodaretur[2]), perinde ut Lutheri nostratis Scripturae sacrae versioni obtigisse notum est. Quae res ut valde apposita fuit atque adeo necessaria ad largam illam utilitatis copiam populo suppeditandam, ita detrimentum attulit gravissimum et numquam non dolendum grammaticis studiis. Nam quae in quintum et sextum urbis saeculum incidit linguae im-

---

[1]) 'De his enim verbis etsi in diversas partes cum discedi potest tum discessum est, tamen arti conveniens interpretatio vix aliud patitur nisi ut reapse leges XII tabularum illae aliquando fuisse in metri formam redactae credantur. Quae res quam et a similium comparatione commendationem et demonstrandi multiplicem cautionem haberet, meminerunt puto, qui publicis scholis nostris interfuerunt, aliquot exemplis ita nos persecutos esse, ut genus numerorum ne hoc quidem aliud atque Saturnium fuisse ostenderemus. Velut ipsum illud Ciceronis exemplum ad eam normam leni unius voculae transpositione sic accedit:

Hoc plús ne fácito: né rogum — ásciá políto.

nisi "ne ásci — á rogúm políto" malis. Quamquam etiam "rógum ne — ásciá políto" habet qui defendatur. Nam omni supersedere transpositione ita tantum poteris, ut resecto pronomine, quod tamen ipsi Ciceroni tribuere vix ausim, scriptum fuisse in XII dicas:

Plus né facitó: rogum ásci — á né polito.' —

Favet isti opinioni etiam oppositio apud Cic. de or. I 57, 245 '*ut totum illud "uti lingua nuncupassit" non in XII tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.*' Atque ex his locis iam Budaeus aliique, de quibus cf. Otto Thesaur. III praef. p. 5, de metrica forma cogitaverunt etsi inepte eam ipsis decemviris tribuentes. Contra vulgaris in loco de legg. verborum explicationis patrocinium suscepit Duentzerus in Muetzellii Annal. rei gymn. 1857 p. 3 n. (cf. Bernhardylus Hist. litt. rom. p. 377 ed. 4) collato Senecae I. Controv. II 10 '*quod scholastici quasi carmen didicerant*' quem merito refellit Ribbeckius in Fleckeiseni Annal. phil. v. 77 p. 203.

[2]) cf. Marius Victorinus p. 2458 P. *Ita nostri, ut apparet ex libris antiquis foederum et* [ex] *legum, qui etiamsi ex frequenti transscriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem* e- q. s.

mutatio, qua quidem insequentis actatis loquendi et enuntiandi usus stabiliri coeptus est, ea vetustiores legis formas ita oppressit, ut iam ultimis liberae reipublicae temporibus practer pauca sive casu sive inconstantia servata vel singularia quaedam et quae converti sine sententiarum periculo vix possent, ex omni verborum antiquitate fere nullum vestigium superstes esset. Itaque in frustulis, quae ex illa aetate ad nostra tempora pervenerunt, constanter reperies et r litteram in locum veteris s substitutam et vocales i pro e, u pro o itemque pro ou repositas et diverso signo notatas gutturales c et g exceptis formis '*pacunt*' et '*pacit*' (Terentius Scaurus p. 2253 P. Festus p. 363 M.) ac fortasse '*clans*' (Gloss. Cyrilli [1])) — quam novationem etiam in superstites fastorum decemviralium tabulas ceteroquin tenaces antiquioris usus ex recentiore consuetudine irrepsisse Mommsenus observat Comm. ad Fastos anni Iuliani C. I. L. I p. 362 — et abiectam in ablativo et imperativo d [2]) et consonantium geminationem observatam — quin etiam Accianae vocalium geminandarum doctrinae vestigia non desunt: ut fere propius absint a Ciceroniani sermonis colore XII tabulae quam a Scipionum titulis, nedum a carminum Saliarium et Arvalium horrida vetustate. Nec profecto quisquam mirabitur, quod in his, quae religioni inservirent et certo sacerdotum collegio in custodiam tradita essent, maiore fide forma antiqua conservata est vel tum, cum suis ipsa sacerdotibus non iam intellegeretur, quam in lege communi usui quam maxime destinata.

Verum enimvero vel in ista novandi perpetuitate fieri non poterat, quin verba relinquerentur quaedam iam pridem obsoleta atque obscurata, praesertim ubi res ipsae ad quas per-

---

[1]) Nam 'cenas' in Ciceronis de leg. codice Leidensi H (II 23, 59) librarii vitio tribuendum est: de quo peccandi genere latius in his libris patenti cf. Vahlenus in Annal. gymn. Austriac. 1860 p. 3.

[2]) Unum qnod scio exemplum d in imperativo latino servatae lex regia est apnd Festum p. 230 '*si nurus . . . sacra divis parentum estod.*' Nam qnod in XII tabnlarum praccepto ib. p. 375 v. viae ex corruptela cod. Ursiniani '*vias muniunto dionisam lapides sunt*' Bergkius (Annal. scient. iur. hist. XIV 144) reposuit '*v. muniuntod: io ni sani l. s.*' iam refutatur ceterorum codicum scriptura patefacta '*muniunt onisandi*' vel '*muniunto omsamdi*' quamvis ipsa quoque corrupta.

tinerent, aut commutatae aut oblivione oblitteratae essent. Unde quod sexto saeculo interpretes extiterunt legis Sex. Aelius et L. Acilius, aeque explicatur atque quod eidem de vocabuli '*lessus*' notione frustra quaesiverunt[1]), sicut postea ab aliis quaesitum est de Sanatibus et Forctis, de '*pedem struit*' etc.[2]) Scilicet ad fontes et indagandos et exhauriendos omni tum adiumento destitutos fuisse Romanos satis etiam aliunde comperimus.

Ceterum illi iureconsulti opera sua legi explanandae et cum provectiore iuris scientia conciliandae impertita etsi gratum facere populo ius exercenti enixe studuerunt, tamen temporis iniquitas effecit, ut iam ipsi potius legi quam communi usui consuluisse viderentur. Namque succrescens in dies iuris materia cum nimis coarctaretur certis legis et actionum finibus restricta, inde a septimo saeculo supergredi fines tamquam amnis inundans coepit. Simul aucta novisque studiis instructa prudentium doctrina laetius efflorescebat: quae novam viam ex Graecorum imitatione ingressa absolutam ac per se stantem iuris civilis descriptionem conficere quam subsistere in usu maiorum inveterato malebat.[3]) Itaque lege Aebutia sublatae sunt legis actiones: qua lege lata 'omnem illam XII tabularum antiquitatem nisi in legis actionibus centumviralium caussarum consopitam esse' gaudet iureconsultus apud Gellium N. A. XVI 10, 8.[4]) Tum alia multa ex lege cum iam minus responderent mutatis temporis rationibus, necessario vel deserenda vel corrigenda fuerunt: ut reductis ea aetate assibus pecuniariae poenae iniuriis statutae fere inanes ac ridiculae redditae sunt: qua de re nota sunt quae de L. Veratio Antistius Labeo in libris ad XII tabulas conscriptis refert transcripta a Gellio XX 1, 13 sq.[5]) Quo factum est, ut pedetentim alia ac nova in

---

[1]) Cicero de leg. II 23, 59.

[2]) cf. Fest. p. 321. p. 310.

[3]) cf. Mommsenus H. R. II p. 459 ed. 2.

[4]) cf. Gaius Inst. IV 30 sq. cuius consensu certo efficitur oleum et operam perdidisse qui talem vim non esse et legis Aebutiae et Gelliani testimonii multis verbis contendit Io. Nic. Funccius de lege Aebutia legum XII tabulis non derogante. Rintelii 1744. 4. Cet. vid. Rudorffius in Hist. iur. rom. I p. 104. 106.

[5]) Abusus est hac narratiuncula Huschkius in libro 'Gaius' p. 127,

legis locum succederent eique quasi fundamento superstruerentur[1]): atque quemadmodum post legem Aebutiam tota iurisdictio penes praetores erat, ita auctoritate lex cedebat praetoris edicto.[2]) His non repugnant, immo fidem addunt ea, quae de legis statutis oblitteratis ac postea denuo mutato nomine habituque temporibus accommodato reviviscentibus Macrobii testimonio comperimus Sat. III 17, 8 '*in ea enim ferenda*' — loquitur de lege Licinia sumptuaria — '*quaesita est novae legis auctoritas exolescente metu legis antiquioris ita, hercules, ut de ipsis duodecim tabulis factum est: quarum ubi contemni antiquitas coepit, eadem illa quae illis legibus cavebantur, in alia latorum nomina transierunt.*'

Contra legis usus fere relegatus a foro in scholis diutius obtinuit. Nam etsi ad disciplinam et ipsam augendam Graecorum exemplum suum momentum habuit, tamen Livii Odyssia in ludos admissa non statim inde exturbavit XII tabularum studium[3]): immo hoc per duo fere saecula etiam coniunctum cum illa mansit, quamdiu Romani in eo laudem capessebant, ne prae alienis et adventiciis neglegerent sua ac popularia. Atque quam late patuerit etiam septimo saeculo apud populum legis cognitio, vel ex eis conspicuum fit quae huius aetatis scriptores, maxime poetae, inde desumpta in suum usum verterunt. Nam ut apud Plautum, Terentium, Ennium, ita etiam in Lucilii, Afranii, Varronis reliquiis occurrunt quibus tecte alludatur ad legis verba et ita quidem, ut acumen nisi qui le-

---

cum hanc ipsam rem diceret ansam praebuisse legis statim abrogandae — quod minime suadent Labeonis verba '*propterea praetores postea hanc abolescere et relinqui censuerunt* e. q. s.' et cum hinc adeo tempus quo id ipsum actum esset accurato definiret: nec minus Rudorffium puto nimium ei rei momentum tribuisse, qui Veratium istum inter ficticias iuris historiae personas cum Vindicio servo aliisque refert H. iur. rom. I p. 105 n. 5.

[1]) Hanc rem memorabili iniuriarum actionis exemplo praeclare persecutus est Huschkius l. l. p. 128 sqq.

[2]) cf. Cicero de leg. I 5, 17. *Non ergo a praetoris edicto ut plerique nunc, neque a XII tabulis ut superiores, sed penitus ex ipsa philosophia hauriendam iuris disciplinam putas.*

[3]) Qua in re parum temporis rationem tenuit Mommsenus H. R. II p. 425. cf. Cicero de leg. II 23, 59.

gem ipsam bene nosset, capturus haud fuerit.[1]) Pariter qui rhetoricam ad Herennium scripsit ex lege plurima exempla hausit. Verum circa liberae reipublicae exitum cum partium studio et armis civium verus patriae amor fere extinctus esset simulque Graecanica elegantia omnis vitae mos cultusque inficeretur, illa quoque legis apud populum memoria consenuit et paulatim evanuit: itaque Cicero in libris de legibus — quos nunc satis constat anno IↃCCII s. IↃCCIII conscriptos esse — XII iam a nemine disci queritur II 23, 59[2]); nec alia ex caussa idem eodem loco putandus est tam copiose de funeralibus legis institutis disserere.

Iam vero quae tam perniciosa extitit legi Graecae disciplinae auctoritas, eadem altera ex parte summam ei salutem attulit. Namque quo magis ex usu forensi ac populari tamquam emeritis stipendiis exauctorata cedebat, eo cupidius a grammaticis studiis vixdum sedem nactis occupata est. Nec hercle quisquam dubitabit, quin grammaticos homines et litteratos, qui toti essent in linguae et historiae monumentis congerendis perscrutandis explicandis, insignem legi XII ut antiquissimo Romanorum libro operam navare par fuerit. Iam qui princeps grammaticorum in fronte operis Suetoniani ponitur, cuius ipsum nomen huic toti studiorum generi affixum est[3]), L. Aelius Stilo Praeconinus ut carminum Saliarium ita XII tabularum explanationem conscripsit. Quem secutus est

[1]) cf. locos ad fragmenta citatos Plauti II 2 Terenti III 3 Ennii VIII 11 sq. Lucilii I 1, 2 Afranii I 7 Varronis I 3. Quibus accedit Catonis ex libro IV Originum a Prisciano I p. 254 H. allegatus '*si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur*': quod etsi neque ad XII neque ad ius XII antiquius cum Mommseno referendum esse sed ad talionem Poenis usitatam revocandum cum Wagenero et Iordano docet et inscriptio l. IV et praesens '*ulciscitur*' et ipsa poenarum diversitas, tamen ad formam legis aperte accommodatum est (VIII 2, 3).

[2]) Eadem est Ciceronis de iure pontificio questio de or. III 33, 136 '*nam pontificium quod est coniunctum nemo discit.*'

[3]) Cicero de or. I 43, 193. *Nam sive quem haec Aeliana studia delectant, plurima est in omni iure civili ut in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant.* cf. Acad. post. I 2, 8.

illustri magistro discipulus illustrior M. Terentius Varro[1]), a quo hanc quoque disciplinae partem mirifice auctam esse et consentaneum est et ex libris eius satis constat; secuti sunt alii complures usque ad Augusti aetatem[2]), ut Servius Sulpicius Rufus, L. Cincius, Aurelius Opilius, Sinnius Capito, Ateius Capito, Antistius Labeo, Aelius Gallus, Verrius Flaccus, alii — quos plerosque non minore iure grammaticis adnumeres atque iureconsultis[3]) —: qui pro se quisque etiam ad legis scientiam penitus hauriendam aliquid contulerunt. Sed ab eis, qui omnino in legem inquisiverunt, accurate discernendi sunt, qui dedita opera eam commentariis instruxerunt: quod discrimen saepe parum observatum infra illustrabitur, ubi de ipsis XII tabularum interpretibus plura exponam.

Istorum vero grammaticorum operae ac beneficio acceptum referendum est, quod non solum quidquid prisci coloris in lege etiamtum resederat conservatum est multaque intellectu difficiliora bene enodata, sed quod omnino deperditis legis exemplaribus aliquot saltem fragmenta nostra saecula viderunt. Nam quotquot nunc supersunt XII tabularum verba apud scriptores veteres hic illic recondita, ea ab illis pleraque omnia descendere quovis pignore contenderim. Quod ut in reliquiis apud Festum traditis sponte elucet, ita cadit etiam in ceteras vel apud litteratos homines ut Plinium Gellium Servium vel apud iureconsultos servatas. Nam quae fuit insequentis aetatis indoles, scriptores in varia scientiae materia coacervanda ac disponenda occupati sementem a prioribus auctoribus

---

[1]) cf. Cicero Brut. 56, 205.

[2]) Augusti aetate quam fuerint accepta haec studia novimus ex Horatii ad Augustum epistula II 1, 23 sq.

Sic fautor veterum (sc. populus), *ut tabulas peccare vetantes,*
Quas bis quinque viri sanxerunt, foedera regum
Vel Gabiis vel cum rigidis aequata Sabinis,
Pontificum libros, annosa volumina vatum
Dictitet Albano Musas in monte locutas.

Seneca epist. CXIV 13 *Multi ex alieno seculo petunt verba, XII tabulas loquuntur: Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et Coruncanium redeunt.*

[3]) cf. de Antistio Labeone potissimum Gellius XIII 10, 1. Omnino ista aetate hae scientiae non tam certis finibus inter se disiunctae erant. cf. Mercklinus in Philologo XVI 168 sqq.

factam metere quam ad ipsos fontes denuo redire malebant. Quin iam Ciceronem hanc eis viam praeivisse in enarranda lege videor mihi demonstrare posse. Nam quod protulit de leg. II 24, 60 '*Illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam et ei qui peperisset et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet*': nec potest inde petita esse plenior Plinii descriptio N. H. XXI 5, 7 '*Inde illa XII tabularum lex: "Qui coronam parit ipse pecuniave eius virtutisve ergo, arduitur ei". Quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo parentibusque eius, dum intus positus esset forisve ferretur, sine fraude esset inposita*', nec mira inter utrumque locum conspiratio explicari nisi sumamus et Ciceronem et Plinium eiusdem auctoris vestigia pressisse: eumque Aelium fuisse, qui apud Ciceronem paucis versibus ante citatur ad 'lessus' vocabuli notionem expediendam — cui convenit etiam vocis 'pecunia' apud Plinium interpretatio — proclivis coniectura est. — Atque similem in modum ipsius Ciceronis verba ex or. Miloniana 3, 9 '*quodsi XII tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderet interfici impune voluerunt, quis est . . .*' descripserunt Quintilianus V 14, 18 et auctor Collationis legum Mosaicarum et Romanarum VII 1, paucis immutatis in suum usum verterunt Seneca Controv. exc. X 6, 4, et Augustinus Quaest. in Heptat. II 84 (Tab. VIII 11 sq.).

Omnino autem inde a primis imperatorum temporibus lex ipsa quam non solita sit in consilium vocari, insigni lapsu Plinius prodit N. H. VII 60, 212 ortum tantum et occasum solis in XII nominari, post aliquot annos adiectum meridiem esse dictitans: quibus manifesto refragantur verba XII '*ante meridiem caussam coiciunto*' et '*post meridiem praesenti litem addicito*' I 7 sq., ac cumulavit errorem miro patrocinio Gothofredus in Notis brev. ad legem c. (Otto Thesaurus III p. 160): quo ne Dirksenus quidem abstinuit (Legis XII tabb. fragm. p. 178). Etiam magis castiganda est iureconsultorum in eo genere socordia. Nam quamquam neque Antistius Labeo neque Ateius Capito defuerant legi XII tractandae, tamen eorum sectatores magistrorum auctoritatem in ceteris acri partium studio servatam in hac re prorsus dereliquerunt. Qui cum in iuris doctrina expolienda summa cum certatione versarentur,

incunabula iuris nihil morabantur. Unde ICtus apud Gellium XVI 10, 7 de voce *'proletarius'* rogatus *'ego vero'*, inquit, *'dicere atque interpretari hoc deberem, si ius Faunorum et Aboriginum didicissem'*.[1]) Atque quo ovaserit iste contemptus, satis ea indicant quae ex Pomponii — qui vixit Antoninorum aetate — enchiridio de origine iuris exposita in Digestis leguntur, plena illa vitiorum et perturbationis.[2]) Hinc autem saepenumero accidit, ut cum lege — cuius ferme non fit mentio nisi in iure etiamtum probato — id, quod posteriore demum aetate ex interpretatione prudentium accessit, confundatur: quam reprehensionem ne Gaius quidem, qui peculiarem librum scripsit ad legem XII tabularum, omni ex parte vitavit. Nam quae a Cicerone disertis verbis disiunguntur p. Caecina 19, 54 *'Lex usum et auctoritatem fundi iubet esse biennium: at utimur eodem iure in aedibus quae in lege non appellantur'* et in Topicis 4, 23 *'Quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam aedium: at in lege aedes non appellantur et sunt ceterarum rerum omnium quarum annuus est usus'*: eadem turbat Gaius Inst. II 42 *'(Usucapio autem) mobilium quidem rerum anno completur, f u n d i v e r o e t a e d i u m biennio: et ita lege XII tabularum cautum est.'* Quin secum ipse certat, cum furtivarum rerum et vi possessarum usucapionem per legem XII tabularum prohibitam esse statuat II 49: nam furtivarum tantum aeternam auctoritatem lex XII esse voluit, vi possessarum lex Iulia et Plautia, ut docemur §. 45; quam neglegentiam parum apte Dirksenus (Fragm. XII tabb. p. 592) inde excusat, quod aetate decemvirum violenta possessio ad furtum videatur relata fuisse. Similia apud ceteros usu veniunt. Ita quod Paullus Sent. IV 8 (Collat. XVI 3, 3) de legitimo heredum ordine notat *'sane consanguineos lex non adprehenderat; interpretatione prudentium primum inter agnatos locum acceperunt'*: videmus nihilo setius ab Ulpiano Fr. XXVI 1 (Collat. XVI 4, 1) consanguineos quoque legi tribui. Nec profecto cum idem Ulpianus fr. XII 2 et

---

[1]) cf. Sex. Caecilius ICtus Favorino philosopho collocutus ib. XX 1, 5 sq.

[2]) Hanc totam quaestionem optime pertractavit Dirksenus 'Ueber die Spuren histor. Kritik und antiquar. Forschung in den Schriften der röm. Juristen' in libro 'Versuche z. Kritik u. Auslegung der röm. Rechtsquellen' p. 203 sq.

Dig. 27, 10, 1 legem de furiosi curatione (V 7) ad prodigum quoque rettulerit, Auctor ad Herennium et Cicero potius incusandi sunt qui minus accurate tradiderint legis verba — quod sumpserunt eum plerisque legis restitutoribus Gothofredus et Dirksenus — quam is qui ex interpretatione tacito addidit quod a lege abfuit. Atque ex eodem fonte profecta est vitiosa Paulli cum Ulpiano consensio (Paull. D. 6, 1, 23 §. 6 cf. 24, 1, 63. Ulp. 47, 3, 1 pr.), qua tignum iunctum legis *'furtivum'* appellant (T. VI 7): qua in re miram Paulli inconstantiam notavit, non sustulit corrigendo Huschkius (in commentatione ad legem XII tabb. de tigno iuncto. Vratisl. 1837 p. 5 sqq.). Alia quae quidem minoris momenti sint, praestat omittere.

Iam vero ne hoc quidem offensioni cuiquam erit, quod subinde verba legis vel male citata vel perperam intellecta deprehendimus: ut utrumque cadit in Paulli locum D. 50, 16, 53 pr. *'at cum dicitur "super pecuniae tutelaeve suae"* — debebat *"super pecunia tutelave suae rei"* — *'tutor separatim sine pecunia dari non potest'*. (V. 3.)

At — ne nunc obtundam diutius — in universum sublestiorem esse in XII citandis iureconsultorum quam grammaticorum litteratorumque fidem et per se veri non est dissimile et satis ex eorum quae modo exposui ratione sumi licet. Itaque si quae una iurisprudentum auctoritate nituntur, cautione semper opus erit, ne aliena in legem inferamus; maxime autem ubi de verborum antiquitate quaestio proponitur, Ciceroni, Festo, Gellio posthabendi erunt Digestorum auctores.[1]) Neque enim vereor, ne quis obvertat apud Auctorem ad Herennium quae ex lege afferantur I 13, 23 (et inde apud Ciceronem eius imitatorem de invent. II 50, 148), ea multo emendatiora exhiberi a Gaio Ulpiano Paullo Pomponio (Tab. V 3, 4, 5)[2]).

[1]) Ita Gaius ubi de furti quaestione cum lance et licio agit Inst. III 193 *'linteum'* quasi in lege extet interpretatur: *'quid sit autem linteum quaesitum est; sed verius est consuti genus esse'* e. q. s. quod voc. 'an in XII tabulis scriptum non fuerit' sine caussa dubitat Handjeryus Obss. de furtis (Lips. 1857) p. 16. cf. Paulus ex Festo p. 177 M. Gellius N. A. XI 18, 9. XVI 10, 8.

[2]) In lege V 3 quidem conciliare utraque testimonia post Heineccium aliosque apud Merulam significatos subtili disputatione studuit Huschkius Mus. rhen. iur. VII 59 sqq. a rhetore et Cicerone 'familiam' mutuatus, 'tutelam' ab Ulpiano et Paullo: tametsi idem (not. ad Ulpian.

Ille enim perspicuitati studens in suum usum convertit legem, non citat: sicut alibi quoque ad eam respicit fonte non indicato (cf. II 13, 19 = I 1; 20 = I 3 et 6) — ne id commemorem in libro celeberrimo per totum medium aevum manibus trito plura antiqui sermonis vestigia iam ante nostrorum codicum memoriam extincta fuisse.[1]) — Aliter sane res se habet apud

---

XI 14) adversatur Boeckingio '*familia*' inde ipsi Ulpiano restituenti. At quod alterutrum omitti ex re fuisse utrorumque statuit, et nimium probat et parum explicat iureconsultorum conspirationem, ex quibus Paullum ne legere quidem potuisse '*familia*' ex sententiae ratione manifestum est. Tum familiam quod accipit de successione et in universitatem acquisitione (cf. etiam Stud. iur. rom. p. 248. Boeckingius Pand. p. 162 § 42[e]), eo sensu vereor ut secundum iuris rationes apte dici liceat '*legare* super familia.' Sed prorsus eodem modo rhetor in lege quam statim addit '*si paterfamilias intestato moritur*, *familia pecuniaque eius adgnatum gentiliumque esto*' — in XII est '*adgnatus proximus familiam habeto*' et '*gentiles familiam habento*' — innexit '*familia pecuniaque*' ex frequentia posterioris usus, qualis iam apparet in mancipationis formula apud Gaium II 104 '*familiam pecuniamque tuam endo mandatam tutelam custodelamque meam*' e. q. s. cf. Gellius I 9, 12. II 24, 12. XVI 10, 11. Festus v. sacratae. Suetonius Nero 4 al.: ubi quod duplici vocabulo exprimitur — vid. Inscr. Grut. p. 636 n. 9 '*familiam manumisit pecuniamque* . . . .' — id sola pecuniae notione in XII comprehensum esse Plinius docet XXI 5, 7. cf. Tab. V 7 '*si furiosus escit — adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto*', ubi '*familia*' in deterioribus aliquot libris interpolatur.

[1]) Ita I 13, 23 '*si furiosus existet*' in optimis libris corruptum esse ex '*si f. escit*' fidem facit Ciceronis imitatio ipsa quoque correctoris manum experta '*si f. erit*' (cf. Paulus Exc. ex Festo p. 77 escit erit). Ib. '*legaverit*' codd. Rhetoris pro '*legassit*' in Ciceronis Parisino servato. II 13, 20 ex Prisciano demum I p. 523 H. vera lectio '*rem ubi pagunt*' male contempta a Kaysero in recentiores quosdam libros Rhet. transiit, cum praestantiores unanimi consensu tueantur correctionem '*paciscuntur*'. In aliis autem aliorum auctorum locis iure dubites, utrum librarii vitium an ipsius scriptoris agnoscas. Cuius generis est '*solis occasus*' apud Varronem (bis) Festum Censorinum Macrobium (T. I 9) pro '*sol occasus*' quod nititur diserto Gellii testimonio. Quamquam nescio an peccatum in codd. potius innuat quod sequitur apud Censorinum '*ad solem occasum*': ut vel hinc parum commendetur Bergkii ratio qui contempto Gellio '*solis*' agnovit antiquum nominativum quales sunt 'mercis', 'mentis', 'Iovis', 'sale', 'lacte' al. (Ind. Hal. 1860 p. V sq. not. Fleckeiseni Annal. 1861 p. 503). — Contra pro certo habeo '*diei*' quod post '*occasus*' altero Varronis loco VII 51 cod. inserit — nam apud Festum iniuria suppletur — non esse a Varrone profectum.

Servium Vergilii interpretem: qui quod ad Aen. XII 606 adnotat '*cautum lege XII tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis "mulier faciem ne carpito"*', legem de suo fictam in locum genuinae substituit a Cicerone aliisque traditae '*mulieres genas ne radunto*' (X 4): cuius licentiae apud eundem alia quoque praesto sunt indicia.

His vero omnibus consideratis ecquis iam dubitet, quin numquam extiterit aeneum illud quod fertur post incendium Gallicum restitutum XII tabularum exemplar?[1]) Qui enim fieri potuit, ut tot vel abusus vel errores committerentur, si ipsae tabulae venerandae antiquitatis publice in foro propositae mansissent, quibus vel minima discrepantia statim redargueretur? Immo grammaticos veteres, quorum quidem plurimum interesset, ut ad pristinam legis formam, quoad eius fieri posset, redirent, ex ipsis fragmentis constat uti non potuisse nisi exemplis multo recentioribus et antiquo colore magna ex parte privatis et additamentis iam tum semel saepius amplificatis.

Atqui salvis hisce nihilo minus contendere ausim fuisse aliquando atque adeo quinto post Christum saeculo extitisse legis exemplar in aes incisum — quamquam id nec Romae propositum nec vetustate insigne. Verba sunt S. Cypriani Carthaginiensis in epistula ad Donatum circa annum p. Chr. CCXLV scripta, qua amico recens fidem professo '*ut inlustrius veritate patefacta divini muneris indicia clarescant*', '*malorum caligine abstersa operti saeculi tenebras revelat*' (c. 5) ita pronuntiata c. 9 (10): '*Sed tibi post insidiosas vias, post dispersas orbe toto multiplices pugnas, post spectacula vel cruenta vel turpia . . . . forum for-*

---

[1]) Diodor. XII 26 ἡ δὲ γραφεῖσα νομοθεσία βραχέως καὶ ἀπερίττως συγκειμένη διέμεινε θαυμαζομένη μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς καιρῶν non spero a quoquam in eam partem acceptum iri: qui prorsus aliter locutus esset, si ipsi XII tabulas aeneas videre contigisset. Sed conficit rem, quae ex ista opinione ne explicari quidem possit, de ipsa tabularum materia veterum dissensio: quas aeneas Livius III 57. Dionys. Hal. X 57. Diodorus XII 26, eboreas vel si Scaligerum sequeris roboreas Pomponius Dig. 1, 2, 2 § 4 tradunt. In quibus diversis diverso modo conciliandis frustra sudaverunt viri docti; cf. maxime G. Wernsdorfius Obss. de materia XII tabularum Vitembergae ap. Dürrium (s. a.). I. Fr. Kemterus Vindiciae Pomponii de materia XII tabb. Lips. 1765. Otto Thes. III praef. 4. Osannus ad Pomponii de orig. iur. fragm. p. 27 sq.

tasse videatur immune, quod ab iniuriis lacessentibus liberum nullis malorum contactibus polluatur. Illuc aciem tuam flecte. Plura illic quae detesteris invenies, magis oculos tuos inde devertas. Incisae sint licet leges duodecim tabulis et publice aere praefixo iura praescripta sint: inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur.' His verbis non equidem sum nescius fidem nunc ferme derogari, cum priores hinc maxime sibi persuasissent etiam tertio p. Chr. saeculo XII tabulas Romae in foro fuisse affixas.[1]) Quorum utrumque caret idonea argumentatione. Nam qui ista tantummodo rhetorice et figurate dici autumant, ut Schweglerus H. R. III p. 27 n. 4 alii, et totius loci ratione refelluntur et in primis verbis '*illuc aciem tuam flecte*' quae nequeunt nisi ad certum forum referri. At indidem apparet hoc nullo modo intellegi posse Romanum forum: neque enim ad Romanum hominem haec scribit, cum apud ipsum morari Donatum evincat epistulae clausula c. 14 '*moderari tamen dicenda debemus simul iuncti et saepius locuturi*'[2]) — neque Romam spectari probabile est, quam urbem ne viderit quidem umquam Cyprianus: et quis in hortatione ex remotissimis ac longe repetitis magis hauserit argumenta quam ex eis quae ante pedem iacent? Sed omnino Cyprianum in moribus saeculi exagitandis Carthaginiensium potissimum rationem habere et consentaneum est et simili huius urbis morum apud alios scriptores descriptione firmatur.[3]) In Carthaginiensi igitur foro leges propositas istis verbis obsignari necesse est. Nec tamen idcirco iam eo nos abripi patimur, ut erratum esse in numero tabularum cum Hugone statuamus. Peropportune enim ecce adfertur Salviani, qui presbyter Massiliensis fuit saeculo quin-

[1]) Hanc opinionem nostris temporibus ab Hugonis (Hist. iur. p. 92) telis defendere studuit Kaemmererus Obss. iur. civ. (Rost. 1827) p. 192—200. Dubitanter agit Puchta Inst. I p. 192 'Wenn man eine Aeusserung Cyprians wörtlich verstehn dürfte, so wären sie noch im 3n Jahrh. auf dem Forum ausgestellt gewesen. Dass sie damals noch existirten, ist ohnedies wahrscheinlich.' cf. Rudorffius H. iur. rom. I p. 261.

[2]) Vereor autem ne nimis sagax sit Kaemmereri opinio p. 198, qui quod rure datam epistulam non Carthagine ipsa constat ex capite extremo, inde facilius Romanum forum agnosci sibi, non aliis, opinor, persuaserit.

[3]) cf. maxime c. 6—8 cum Herodiano VII 9 et Salviano quamquam posterioris aetatis scriptore de Gubern. Dei l. VII.

to usque ad sexti initium[1]) ex scripto de gubernatione Dei locus VIII 5 '*Intra Carthaginem vero apparere in plateis et compitis Dei servos sine contumelia atque execratione vix licuit. Persecutionem hoc quidem fuisse non putant, quia non et occisi sunt . . . Sed in urbe illa non tam hominum fuerunt haec beneficia quam legum. Interfici enim indemnatum quemcunque hominem etiam XII tabularum decreta vetuerunt. In quo agnoscitur, quod magna illic praerogativa dominicae religionis fuit: ubi ideo tantum servis Dei licuit evadere, quia a pagano iure defensi sunt, ne Christianorum manibus trucidarentur*'.— Hic autem neque 'urbem illam' aliam esse nisi Carthaginem neque, ibi quae valuerint, XII tabularum decreta alia nisi decemviralia certissimum est. Itaque utroque loco, ut par est, in censum vocato iam non licet dubitare, quin Carthagini XII tabulae quinto etiam saeculo fuerint in foro affixae. Quae res ut exploratu facilis est ita explicatu difficillima. Incautius enim agat opinor, si quis inde statim efficiat hunc constantem usum fuisse populo Romano, ut ius antiquum atque ex parte obsoletum in colonias quoque transportarent in aes incisum: id quod ne umbra quidem argumenti aliunde petiti nititur. At notum est in Carthaginis deletae atque, ne umquam incoleretur, devotae locum novam coloniam a C. Graccho deduci coeptam post repressa eius consilia Augusto demum imperante a. u. DCCXXV (a. Chr. XXIX) reapse conditam esse: quae tamen ut prima Romanorum extra Italiam colonia celebrata est. cf. Velleius I 15. II 7 (15). Potuit igitur fieri, ut singulari huius coloniae condicione legis in novam civitatem sollemnis receptio commendaretur: utut res se habet, hoc quidem nemo negabit istud legis exemplar non sane vetustum fuisse nec diversum ab eis quorum fragmenta nobis quoque innotuerunt. Iam vero cum aliis ea de re testimoniis plane destituti simus, ne id quidem decerni poterit, quamdiu Carthagini lex extiterit: quam tamen verisimile videtur intra annos IↃCXCIII et IↃCXCVIII demum urbe ab Arabibus acerrimis monumentorum litterariorum inimicis identidem capta interiisse.

---

[1]) Nam qui eum a. 485 dicunt mortuum esse (cf. Dirksenus Fragm. XII tabb. p. 4 n. 4[a]) non meminerunt in Gennadii de viris illustr. libro a. 496 edito de Salviano dici c. 94 '*Vivit usque hodie in senectute bona.*'

Ceterum ut legis memoria, ita studium quoque proprie a iureconsultis in eam collatum dum magis magisque evanescit, in provinciis aliquantispor remoratum esse videtur. Nam quo tempore Salvianus Massiliensis de Carthaginiensi legis exemplari testatur, eodem Leonem quondam et iureconsultum et poetam Narbone XII tabulas docuisse[1]) ex Sidonii Apollinaris elogio Narbonis (carm. XXIII) comperimus v. 446 sqq.

sive ad doctiloqui Leonis aedes,
quo bis sex tabulas docente iuris
ultro Claudius Appius taceret
claro obscurior in decemviratu.

Quamquam quale potissimum fuerit hoc studium, ex istis verborum tumoribus parum auguramur. Verum hoc in veteris aevi exitu iam extremum vestigium apparet legis adhibitae. Ex hoc enim tempore alto silentio tegitur, et ab rhetoribus grammaticisque et a patristicis scriptoribus, apud quos usque adeo quantumvis rara exstabat XII tabularum mentio, post Augustinum et Salvianum prorsus derelicta: cum quae in ICtorum veterum scriptis sparsa ferebantur testimonia, quasi ex legis naufragio in alto errantia Iustinianeae compilationis portu excepta sunt, ubi conquiescerent. Scripta autem exempla dudum interciderant omnia, nec magis ex commentariis tum praeter Gaianum ullus videtur integer superstes fuisse. Hinc de eorum fide iudicandum est, quae a quibusdam de tractatis etiam medio aevo XII tabulis ex vana auditione magis quam ex limpidis fontibus hausta traduntur. Nullius enim usus est quod Petrus de Grañon quidam, monachus Hispanus circa

---

[1]) Quem quod vulgo eundem putant esse atque Leonem Eurici et Alarici Gothorum regum consiliarium (cf. Gregorius Mirac. I 92), ad quem Sidonii duae epistulae sunt IV 22 et VIII 3: id vehementer addubito. Nam etsi huic sententiae bene convenire videntur et carminum Leonis et declamationum landos cf. VIII 3 '*suspende perorandi illud quoque celeberrimum flumen quod non solum gentilicium sed domesticum tibi quodque in tuum pectus per succiduas aetates ab atavo Frontone transfunditur*' itemque antiqui sermonis studium laudatum IV 22 '*nemo te celsius scripserit, nemo antiquius, etiamsi placeat recentia loqui*': tamen illum Tolosae in regia ipsa, non Narbone versari, ut decebat, ita alterius epistulae initio diserte indicatur.

annum millesimum in libro de Gothorum legibus dicitur orsus esse ab elogio XII tabularum 'quas omnes carmine latino comprehenderit', teste Nicolao Antonio in Biblioth. Hispana vet. VI 14, 350 (I p. 518 ed. a. 1788).[1]) Pariter incerta atque incredibilia do nescio quo octavi saeculi Massiliensi episcopo Franciscus Balduinus profert in 'Libr. II in leges Romuli et leges XII tabularum' ed. Basil. 1557 praefatione[2]): 'audio ante annos octingentos scriptum abs quodam episcopo Massiliensi librum fuisse, in quo cum probare vult Romanos a Graecis et Graecos a Iudaeis suas leges repetiisse, magnam XII tabularum partem describit ac recitat. Sed eum quoque librum qui habet supprimit'. Quae haud inepte Dirksenus p. 3 sq. non aliunde fluxisse arbitratur nisi ex obscura fama de Salviani Massiliensis XII legis commemoratione a Balduino vel eius auctore mirifice amplificata. Denique Odofredus ICtus (mortuus a. 1265) cum tradat quaedam ex ultimis duobus tabulis servata in Laterano esse, lectu difficilia (in Dig. vet. 1, 1, 6), aperto errore ducitur deceptus sine dubio aliis legum frustulis ibi visis.[3])

Vides igitur etiam XII tabularum libellum sua fata habuisse: quae prima et sola lex civitatis summo populi studio celebrata per longum tempus ore tantummodo propagata est ac sero demum litteris mandata: tum vero in usu esse desiit et sola grammaticorum et historicorum studia exercuit; denique vel his deficientibus oblivione prorsus oblitterata est. Nec profecto hinc mirabimur ea aetate qua hominum ingenia rursus ad monumenta antiquitatis ex tenebris eruenda ac luci restituenda accendebantur, de lege quamvis studiose investiganti-

---

[1]) Adiciam locum ex Savignyi Hist. iur. rom. med. aevi II p. 77 n. ed. I descriptum 'ante annum millesimum aut circiter dominus Petrus de Grañon coenobita erat in S. Aemiliani ut vocant monasterio . . . Reliquisse hunc Petrum in eo monasterio nuntiatum nobis fuit volumina duo "Leges Gothorum et Regum" inscripta, quorum prius LXIII, posterius vero LXVII capitibus absolvitur. In principio elogium posuit auctor legum XII tabularum quas omnes carmine latino comprehendit . . . Codex prae nimia vetustate aliquot iam foliis non legitur . . . Habemus id totum ex relationibus ad nos missis ab eodem monasterio.'

[2]) ap. Heineccium Iurispr. Rom. et Att. I p. 67.

[3]) cf. Puchta Inst. I p. 192 n. (§ 55).

bus nihil nisi fragmenta exilia apud veteres auctores, maxime grammaticos, recondita comparuisse.

Iam qui inde a litteris renascentibus XII tabularum reliquiis colligendis disponendis restituendis operam enixe dederunt et iureconsulti et grammatici — ac videtur sane in deliciis studii recens excitati diu fuisse horum monumentorum tractatio — in eis enumerandis ne longi simus, facit pergrata nobis et plane admirabilis H. E. Dirkseni diligentia et accuratio, qui in libro operoso 'Uebersicht der bisherigen Versuche zur Kritik und Herstellung des Textes der Zwölftafelfragmente.' Lips. 1824 hanc rem faece tenus exhausit. Cuius non minimum beneficium hoc fuit, quod iam licet cum summa confidentia pleraque ex illis plane missa facere nulli amplius usui futura, atque tutius ad ipsos fontes incorruptos reverti. Nam ex plus quadraginta editoribus quibus Dirksenus usus est paucissimi sane bonae frugis quidquam in legem contulerunt: cum fere omnes otiosis ludicrisque artificiis unice indulserint. Nimirum in restituenda lege magis quam in constituenda et ICti et grammatici suo quisque more pro diversa studii ratione versabantur ita quidem, ut verbis legis illi, hi antiquis formis restitutis maxime delectarentur.[1]) Accedit quod plerumque nullo discrimine etiam prorsus aliena legi obtrudere ausi sunt. Itaque fit, ut ex hac multitudine quibus proprii meriti laus debeatur, quattuor tantum commemorandi sint Franciscus Balduinus (1550. 1557), Ant. Contius (1555. 1572), Franc. Pithoeus (1586), Iacobus Gothofredus (1616. 1653).[2])

Contra longe gravioris momenti ea sunt quae criticorum saeculi sexti et septimi decimi ingenia opportunitate oblata vel observando vel emendando in XII tabulis profecerunt; ex quibus praeter ceteros eminent Iac. Cuiacius ICtus pariter atque philologus insignis quique eum adeo superavit acumine atque ingenii felicitate I. I. Scaliger[3]); accedunt Turnebus, Manu-

[1]) Ex altero numero maxime sunt Fulvius Ursinus in Notis ad Ant. Augustini de legibus et ICtis librum. Romae 1583; Paulus Merula (mortuus 1607) de leg. Rom. c. 8—23 in Opp. postum. ed. 1684; denique Nicolaus Funccius Leges XII tabularum suis quotquot reperiri potuerunt fragmentis restitutae. Rintel. 1744.

[2]) cf. Dirksenus l. l. p. 37. 40. 64. 77.

[3]) Cuius memorabile est dictum in 'Scaligeranis' I v. Cuiacius:

tius, Lambinus, Salmasius, Gronovius, alii. Quorum omnium curas criticas Dirksenus ea qua par est religione in consilium vocavit, laudandus etiam eo, quod et vanis illis restituendi ornamentis in fragmentorum recensu abstinuit et plurima cupidius quam verius ab editoribus arrepta reiecit. Atqui ne ipse quidem rem absolvit nec voluit absolvere; cum hoc magis ageret, ut congesta ab aliis digereret et in uno conspectu collocaret quam ut proprio Marte in fragmentis denuo retractandis elaboraret. Nec magis huic rei vacarunt qui post Dirksenum XII tabularum editores extiterunt Zellius (Legum XII tabb. fragm. Frib. 1825) Hauboldus (Inst. iur. Rom. ed. Otto 1826 II 1—10.) Cosmanus (in den Texii Fontes tres iur. civ. rom. Amst. 1840.) Eggerus (Latini serm. vetustioris reliquiae Par. 1843 p. 89 sqq.) Demelius (Legum quae ad ius civile spectant fragmenta Vimar. 1857 p. 1 sqq.) Gneistius (Instit. et regul. iur. rom. syntagma Lipsiae 1858 p. XII sqq.) Brunsius (Fontes iur. rom. antiqui Tub. 1860 p. 5 sqq.): qui fere substiterunt in illius vestigiis paucissimis de suo vel mutatis vel suppletis. Ac — ne de eis dicam quae latuerunt Dirksenum quaevo postea demum ex fontibus recens repertis innotuerunt — cum plura sunt post illum a criticis bene novata, tum plura nunc novis auxiliis instructi et maxime grammaticae Latinae studiis nuper efflorescentibus adiuti rectius quam tum fieri potuit et statuere licet et intellegere. Itaque iam hoc potissimum flagitatur, ut reliquiis legis collectis, resectis omnibus quae oneri et ornatui magis sint quam fructui, fontium primum et fide et memoria accuratius examinata, deinde locis inter se collatis quaestionibusque hominum doctorum tum priorum tum recentiorum adhibitis, ecquid tandem certi statui possit et quousque liceat pedem tuto proferre, exploretur. Ad quae pro meis viribus praestanda deinceps accedam.

'Nullus est qui de legibus XII tabularum quidquam docere me possit, ne Cuiacius quidem, qui non inficiabitur me illi multa de iis indicasse quae hactenus eum latuerant.' cf. Bernaysius 'I. I. Scaliger' p. 144 sq.

CAPVT ALTERVM.

DE VETERIBVS XII TABVLARVM INTERPRETIBVS.

Quaestionem de eis, qui inter veteres legem interpretati sunt, quod post Suringarum (Hist. crit. scholiast. lat. I p. 30—55) retractandam suscipio, nemo opinor mirabitur, qui verissimum de eius libro iudicium Ritschelii noverit (Parerga I p. 361). Placet tamen eam quaestionem ita persequi, ut quae iam ab illo occupata sunt praeteream, de eis autem, quae vel dubia sunt vel parum adhuc intellecta, paulo plenius disseram.

Ac primum quidem Sex. Aelium Paetum cognomine Catum insignem iuris scientia apud populares — qui et consul fuit a. IOLV cum T. Quinctio Flaminino et censor a. IOLIX ingentem gratiam apud senatum peperit senatoriis locis in cavea a populo secretis (Livius 34, 44) — legis interpretem diserte appellat Cicero loco quem notavi de leg. II 23, 59 idemque testatur Pomponius Dig. 1, 2, 2 §. 38. '*Sex. Aelium etiam Ennius laudavit*[1]) *et extat illius liber qui inscribitur "Tripertita", qui liber veluti cunabula iuris continet. Tripertita autem dicitur, quoniam lege XII tabularum praeposita iungitur interpretatio, dein subtexitur legis actio*'. Quem librum non mihi persuaderi ab Huschkio patiar (in Annal. iur. scientiae histor. XV 179 sqq.)[2]) quemadmodum passi sunt Rudorffius H. i. r. p. I 158, Walterus H. iur. II p. 6, alii — diversum esse ab eo qui appellatur 'Ius Aelianum', cuius apud Pomponium §. 7 mentio est, vel a commentariis Sex. Aelii Ciceroni memoratis de or. I 56, 240. Namque ius Aelianum nihil continuisse nisi legis actiones omissas in iure Flaviano immerito concluditur ex Pomponii verbis hisce: '*augescente civitate, quia deerant quaedam genera agendi, non post multum temporis spatium Sex. Aelius alias actiones composuit et librum populo dedit qui appellatur ius Aelianum*'. Ubi ne specie quidem veri commen-

[1]) Cicero de or. I 45, 198.

[2]) Huschkio viam praeiverunt cum alii tum omnium accuratissimo Vaassenus Animadv. hist.-crit. ad fastos Romanorum sacros p. 161 sqq.

datur quod Huschkius ponit *'librum populo dedisse'* oum tantum dici posse qui collectas in publicum usum formnlas in foro proposuerit. Immo iunctum membrnm *'et l. p. d.'* indicare videtur plura ibi fuisse comprehensa. Nec magis probabile est legis actionem ab Sex. Aelio bis diversis libris compositam esse: omnino illa aetate admodum parca in litterariis monumentis proferendis vix crediderim tria similis argumenti scripta ab uno homine profecta esse. Nam quod Huschkius statuit tripertita non populi, sed soli iurisprudentium usui destinata fuisse, id neque ullo indicio firmatur neque satis illius aetatis moribus respondet. Denique ne offendas in ipsa titulorum discrepantia, altero loco est: *'qui inscribitur tripertita'*, altero: *'qui appellatur ius Aelianum'*: nempe talem non ab ipso auctore profectam fnisse inscriptionem, verum a populo ad exemplum iuris civilis Flaviani effictam sponte apparet. Ac sane eo nomine dignus videri poterat is liber qui 'veluti cunabula iuris' continebat.[1]) Quod autem Pomponius priore loco alterum titulum non addidit: non est tanta huius scriptoris religio, qui sine iudicio fontes exscripsit et turbavit: atque eodem iure dicas altero loco in librorum Sex. Aelii enumeratione iuris Aeliani quoque disertam mentionem desiderari.

At libidinosius etiam eis abusus est Huschkius quae sequuntur apud Pomponium l. l. *'eiusdem esse tres alii libri dicuntur, quos tamen quidem negant eiusdem esse'*. Nimirum 'tres alios libros' assevorat non tria scripta, sed unius scripti tres partes intellegendas esse; ac mirae interpretationi prorsus singularem caussam addidit: etiamsi non idem, qni tripertitorum, horum quoque librorum auctor fingeretur, tamen minime verisimile esse iam unum ex primis de iuris scientia scriptoribus argumentum suum pluribns operibus pertractasse (p. 182). Quasi vero suppositicia scripta quia sub illustri S. Aelii nomine fer-

1) Pomponius quum § 2 et 7 eiusmodi appellationem inde maxime repeteret, quoniam auctores nihil de suo adiecerint legibus vel actionibus collectis, parum rem acu tetigit. Sed quod idem 'ius Aelianum' simpliciter appellat, cum antea ius **civile** et Flavianum et Papirianum notaverit, id neminem opinor mirum habebit: ut Huschkii explicatione meo quidem intellectu difficiliore p. 180 haud gravate carere possimus. Non maiore iure Huschkius ad verba *'veluti cunabula iuris'* addi *'civilis'* iubet p. 181.

rentur, ideo statim aetati Aelii adscribenda essent. Verum cupidius hoc praeripuit Huschkius, cum inde probari vellet hos libros tres eosdem esse S. Aelii commentarios quos P. Crassus citat apud Ciceronem l. l. Quae res etiam si largiamur de tribus commentariorum libris cogitare posse Pomponium, fundamento omni destituitur quod ex eiusdem testimonio de fide illorum librorum haud constat[1]): cum de commentariis sane apud Ciceronem dubitare non liceat. Quin perquam apte simplex et commune commentariorum nomen etiam tripertitis convenit: quod adiectivum a Pomponio nude positum aut fallor aut a vero non abhorret ab ipso Aelio auctum fuisse substantivo '*commentaria tripartita*'.

Interpretationis autem, quae fuit pars tripertitorum, parum dilucidam imaginem ferme adumbrari video. Vulgaris enim

---

[1]) Certam eius rei caussam significandam obtrusit Pomponio Huschkii manus: qui enuntiatum quod sequitur aperte corruptum '*Hos sectatus ad aliquid est Cato. Deinde M. Cato*' . . . prioribus iunxit ita: '*quos tamen quidam negant eiusdem esse, sed hos sectati ad aliquid Aeli Cati. Deinde M. Cato*' . . .; p. 183 sq. ne hac quidem in re privatus Rudorffii assensu. At neque propter formam '*eiusdem*' qua tantummodo excipitur prius '*eiusdem*' ita grassari licet, et novus ille quisquis fuit Aelius Catus debuit saltem diserte 'alius' praedicari. Accedit quod Cati cognomen Pomponius antea ne verbo quidem attigit: inferre quidem Huschkius ausus est, ex Florentini cod. scriptura '*Sex. Caelius*' oliciens '*Sex. Catus Aelius*' (p. 178) prorsus inaudita collocatione atque quae dissimillimis Balbus Lucilius, Labeo Antistius etc. minime defendatur. Omnino frustra quidquam efficias ex isto vitio vulgari in codicum memoria (cf. Kaemmererus Obss. iur. civ. p. I de vita S. Caecilii ICti p. 32. 45. 48 n. 26): ut simili modo Dig. 33, 9, 3 § 9 Sex. Caecilius exhibetur pro Sex. Aelio, quod nomen ex Gellio N. A. IV 1, 20 de eadem re tradente restituendum est: ubi gravi errore I. F. Gronovius Gellium ex Digestis corrigere maluit, scilicet Servium Sulpicium ratus Ciceronis aequalem Sex. Caecilii celebris Hadriano regnante ICti (cf. Gellius XX 1) placita referre potuisse. — Ac latuisse videtur Pomponium illius cognominis ratio: qui ceteroquin eo non minus usus esset atque § 37 Sempronii '*quem populus Romanus* Σοφόν *appellavit*' aut § 38 Atilii qui '*primus a populo Sapiens appellatus est.*' — Iam eo loco unde profecti sumus, '*Cato*' priore loco delendum est fortasse ex titulo margini adscripto oriundum: ut sana procedat sententia: '*Hos sectatus ad aliquid est deinde M. Cato, princeps Porciae familiae, cuius et libri extant; sed plures M. filii eius, ex quibus ceteri oriuntur.*' Ita enim recte corrigi ab Huschkio p. 185 puto scripturam librorum '*sed plurimi filii eius.*'

opinio est eam continuam explicationem fuisse inprimis vocabulorum inveteratorum obscuriorumque[1]): in quo Mommsenus (R. R. I p. 913) affirmat iam Graecorum grammaticae studiorum quandam vim perspici. Sed ea opinio non aliunde nata esse videtur nisi ex eis quae de vocis '*lessus*' notione a S. Aelio non satis expedita Cicero rettulit: cum secus rem accipi iubeat ipse Pomponii locus. Is enim cum dicat tripertitis contineri legem, interpretationem, legis actionem, tria illa iura intellegit, de quibus ab initio exposuerat § 4—6, ubi ex XII tabulis fluere coepisse et ius civile i. e. prudentium interpretationem necessariamque fori disputationem, et legis actiones docuit (§. 6. 8). Atque id ipsum spectat quod addit cum librum veluti cunabula iuris continere. Forensis igitur fuit, non grammatica interpretatio: quae quamquam in singularum quoque vocum significationem inquirere data occasione non supersedit, tamen in iureconsultorum auctoritate proponenda tota versabatur. Sequitur autem ex hac operis parte ea quoque desumpta esse quae propria Aelio a veteribus memorantur: ut quam Cicerone teste controversiam movit (ad fam. VII 22) '*possetne heres quod furtum antea factum esset, recte furti agere,*' aut quod '*tus quoque et cereos in domesticum usum paratos in penu esse scripsit* (Gellius IV 1, 20. Dig. 33, 9, 3, §. 9), aut '*si per emptorem steterit quominus ei mancipium traderetur, pro cibariis per arbitrum indemnitatem posse servari*' confirmavit (D. 19, 1, 38).[2])

De altero qui S. Aelio a Cicerone iungitur interprete L. Acilio non satis ne de ipso quidem nomine constat: quem P. Atilium appellet Pomponius l. l. §. 38. Verum cum ab hoc auctore in praenomine erratum esse nemo neget, ne nominis quidem formam recte existimo a plerisque et iuris scriptoribus et Ciceronis editoribus[3]) constanti duobus locis (de leg. II 23, 59. Lael. 2, 6) codicum Ciceronianorum memoriae praeferri. Praeterea hoc tantum comperimus 'Sapientis' eum cognomine ornatum esse '*quia prudens esse in iure civili putaretur*'

[1]) cf. Vaassenus Anim. ad fast. rom. p. 222 al.

[2]) Fugit hic locus eos qui S. Aelii reliquiis colligendis operam dederunt.

[3]) etiam Osanno ad Pomponium l. l.

(Cicero Lael. 1.). Iam legis interpretationem Acilii probabile est non multum diversam ab Aelii fuisse: cuius cum aequalem intellegi coniuncta utriusque et apud Pomponium et ut 'veterum interpretum' apud Ciceronem mentio persuadet.

Iam veteribus interpretibus Cicero opponit L. Aelium[1]), scilicet Stilonem Praeconinum illum Lanuvinum grammaticorum studiorum auctorem, quem novimus ad disciplinam provehendam antiquissima linguae monumenta commentariis instruxisse. Cuius ex interpretatione legis praeter 'lessum' explicatum hausta est Festi glossa ad 'sonticum morbum' p. 290.[2]) Atqui de eius ratione et indole si quaerimus, in gravissimam controversiam ac multifariam vexatam incidimus quae est de Aeliis internoscendis. Nam cum praeter S. Aelium et L. Aelium etiam C. Aelii Galli qui scripsit de significatione verborum quae ad ius civile pertinent, apud Festum et Gellium extet memoria[3]): e librorum similis saepe argumenti quid cui-

---

[1]) 'L. Aelius' isto loco Turnebi demum emendatione suum honorem nactus est, cum in libris sit 'Laelius' — frequenti codicum mendo cf. Cicero de or. I 62, 265. Plinius XIV 92 —: unde post alios Dirksenus quoque p. 12, Pernicius Encycl. Hal. vol. 28 p. 321, Wiesius de M. Valerio Messalla p. 75 nescio quem Laelium in XII tabb. interpretibus referunt. Nec tenuit hoc qui perperam L. nuncupari pro S. Aelio opinatus est Vaassenus Anim. ad fast. p. 223. Rudorffium vero mirum quantum ratio fefellit cum L. Acilio L. Aelium confundentem H. i. r. I p. 261. Ceterum de Aelii aetate praeter alios adeundus est Ritschelius Parerg. I p. 239 cf. praef. XXI qui eum Lucilio circa a. DC nato non multo minorem fuisse colligit.

[2]) Nam quod Lerschius Philos. linguae vet. III p. 146 sq. contendit probavitque Graefenhanio Hist. phil. II p. 336, quaecumque Aelli glossae etymologicae apud Varronem Festum alios feruntur, omnes ex illius in Saliorum carmina atque in XII tabulas commentariis ductas esse, prorsus caret idoneo fundamento ex ipsis vocabulis expeditis quae maximam partem alieni argumenti sunt repetendo. Et conferendum de illius interpretationis genere Varronis iudicium de l. l. VII 2. Quamquam ne de 'etymorum' quidem sive 'de origine verborum' libris quos alii statuunt quidquam constat. Omnino haudquaquam omnia quae Aelio tribuuntur ab ipso iam litteris mandata fuisse, sed a discipulis, Varrone maxime, ex auditione tradita ipsa Varronis in citando variatio indicat: '*Aelius scribit*' V 18. 21. 25. '*A. dicebat*' V 66. 101. VI 7. cf. de r. r. III 13. Gellius I 18.

[3]) Mera autem coniectura neque ea probabili effectus est C. Aelius Stilo ex Varronis lectione Cornelius Stilo de l. l. V 148 et 150: cuius

que proprium sit, ubi plena nominis significatio desideratur, ea de re admodum fluctuat criticorum iudicium. Itaque qui Aeliorum fragmenta collegerunt, Stilonis van Heusdius, Galli Heimbachius, utriusque Eggerus (Latini serm. vetust. rell.), Sex. Aelii et Galli Dirksenus (in libro 'Bruchstücke a. den Schriften der röm. Juristen') et Huschkius (Iurisprud. anteiust. quae supersunt), pro arbitrio pleraque disposuerunt. Nec vero multum lucramur van Heusdii consilio qui ad L. Aelium omnia nisi quae ad ius civile pertineant revocanda esse statuit: quamvis hoc ipso statim concedat saepe parum discerni posse (de L. Aelio Stil. disquis. p. 62). Plura enim et Aelius Gallus disputavit quae propria iuris civilis non sunt — cf. ap. Festum v. torrens, petrarum genera, saltus, alia — et Aelius Stilo in legis explanatione tractavit ex intimis iuris civilis penetralibus hausta. Ac tamen simplicior haec caussa est quam videtur esse. Nam primum continuo procul habendus est Sex. Aelius, cuius et tempus et scribendi consilium, quale fuisse modo cognovimus, aliquantum distat ab istorum fragmentorum quibus de linguae ratione plerumque agitur argumento. Omnino tripertitorum posteriore aetate exiguus usus fuisse videtur: quorum vestigium praeter paucissima illa quae supra congessi frustra requiris: neque eorum ullam rationem Cicero habuit cum expositis a Cn. Flavio primum actionibus nullos fuisse dicat, 'qui illa artificiose digesta generatim componerent' (de or. I 41, 186). Falluntur igitur qui Sex. Aelium a Varrone citari putant de l. l. VI 7 '*Intempestam Aelius dicebat quom tempus agendi est nullum*': quod Dirkseni commentum (l. l. p. 44) probavit Kompfius (ad. Val. Max. IV 3, 7: ubi errore VI 3 exaratur), in medio reliquerunt Huschkius l. l. p. 1 n. et Rudorffius I p. 234. Neque enim — ut de re taceam — is locus segregari potest a septem reliquis quibus Varro in his libris L. Aelii magistri placita in consilium vocavit: ubi qui significetur dubium non est. Nam quod quaedam ex eis Aelio Gallo et alii tribuerunt

quam dicat crebram apud Festum mentionem esse. Orellius in Onom. Tull. s. v. non magis equidem assequor quam quo iure Huschkius Iur. ant. p. 73 n. C. Aelii cuiusdam referat extare apud eundem Festum aliquot ex oratione fragmenta. C. Laelii quidem oratio pro se apud populum notatur p. 193 et 314 M., quod nomen etiam p. 182 recte pro Coelii nomine substituit Lionius in indice Muelleriano p. 441.

et nuper tribuit Rudorffius I p. 166: Galli Varronem notitiam habuisse pridem recte negavit Merkelius Prolegg. in Ovid. Fast. p. CIV (cf. Lachmannus in Annal. iur. scient. histor. XI 116 sq. Ritschelius Parerg. I p. 372): qui illum Verrii Flacci, a quo primo consulitur, aequalem ac fortasse socium Augusteae aetati vindicavit. Iam vero quemadmodum Varro constanter 'Aelium' obsignat omisso et praenomine et cognomine — ut hinc ipsum improbetur Eggeri ratio V 148 et 150 '*Cornelius Stilo*' in '*L. Aelius Stilo*' mutantis — ita de eodem idem apud Verrium Flaccum semel saepius usu venit: qui cum undeviginti locis Aelium Stilonem, tribus et viginti Aelium Gallum, duodecim simpliciter Aelium citaverit, uno saltem ex his titulus additus '*in explanatione carminum Saliarium*' auctorem non sinit obscurum esse, cum ab Aelii Galli nomine, sicubi diserta libri significationo augetur, numquam absit cognomen. Scio equidem fore qui provocent ad Festi locum p. 352 M. valde lacunosum, ubi quae de lege curiata a. DXXXIX. lata narrantur, in codice excipiuntur verbis — '*vit Aelius in XII sig*'[1]) — suppletis ab Ursino '*ut notavit Aelius in XII significationum verborum.*' Quod supplementum omne editorum punctum ita tulit, ut qui nuper glossam aliter constituerunt Mommsenus (Mus. rhen. XIII 568 sqq.) eiusque vestigiis insistens Bergkius (ib. XIX p. 606) inde adeo argumentationis partem repetere non vererentur. Quamquam quo modo haec de lege curiata narratio in iureconsulti libro de verborum significatione locum apto habuerit, ne his quidem satis contigit explanare. Nec probabile est duodecim eius operis libros fuisse: cum ex duobus tantum fragmenta nominatim referantur eaque ita comparata, ut fere suspiceris librum alphabetico ordine verba discripta exhibuisse.[2]) Recte igitur numerum ad XII tabulas Suringa-

[1]) *sig-*, uon *signi-*, testatur Keilius.

[2]) Ex libro I glossae citautur ad 'paries' (Dig. 50, 6, 157) et 'postlimiuio receptum' (Fest.) ex l. II 'rens', 'saltus', 'torrens' (Fest.), 'vestibulum' (Gell. XVI 5, 3. Macrob. Sat. VI 8). Quae ratio non evertitur eo quod in Digestis l. l. etiam 'viae' siguificatio tamquam ex priore libro desumpta additur: coustat enim, qui fuit modus a compilatoribus Digestorum iustitutus, satis infirmam esse earum inscriptiouum auctoritatem.

rus rettulit Hist. crit. schol. lat. p. 38, in eo tamen mirifice lapsus, quod Sexto Aelio glossam adscripsit: rectius Merkelius l. l. CV eis verbis lemmatis deperditi quod e XII tabulis fuerit, deperditam explicationem contineri perspexit idemque Lachmanno probavit. Ac videor mihi, quod loci ratio flagitat, non sine aliqua probabilitatis specie supplevisse in hunc modum: *Transque dato nota)vit Aelius in XII sig(nificare traditoque.* cf. p. 309 M. '*Sub vos placo in precibus fere cum dicitur significat id quod supplico, ut in legibus transque dato et endoque plorato*': ubi leges XII intellegi certiores nos facit Ciceronis de v. '*endo plorato*' testimonium or. p. Tull. § 50 (cf. T. VIII 12). Atqui cum redeat in Pauli ex Festo excerptis '*endo plorato implorato*' p. 77 M., etiam '*transque dato*' sive malis '*trans dato*' [1]) suum adipisci locum in continuo verborum ordine par fuit. Solet enim Verrius quae alias dedita opera commentatur, eadem alias exemplorum loco usurpare; ut etiam verbo '*sub vos placo*' iam illustravit usum locutionis '*ob vos sacro*' p. 190. cf. p. 170 '*nuptias*' cum p. 184 '*obnubit*' al. — Nec minus ad illud quod proposui commendandum facit perquam opportunus vicinarum glossarum ordo. Praecedit enim sive Mommsenum sequeris '*Transit imperium*', sive Bergkii sagax sane inventum '*Translatione lex curiata fertur*' [2]); sequitur '*trisulcum*'. Ceterum nescio an spatio melius consulatur '*ait*' scribendo pro '*(nota)vit*', cuius verbi nullus apud Festum usus est. — Quod vero efficere volui omnes eos locos Festi, quibus Aelius nude appelletur, ad Stilonem pertinere, id et suapte natura reique simplicitate commendatur et Varronis exemplo et denique ipsorum fragmentorum ratione probatur. [3]) Quam-

---

[1]) Hoc fortasse probabilius: ita '*endo plorato*' est apud Ciceronem, Paulum, Glossariorum auctores, cum '*endoque plorato*' appareat proprium legis esse. Sim. '*pedemstruit*' Fest. p. 210 et Gloss. Labb.: '*pedemve struit*' lex apud Fest. p. 310. Unde diiudices quo iure Schroeterus in Schunckii Annal. litt. iur. IV p. 33 ex Ciceronis testimonio efficiat '*endoque plorato*' ap. Festum ad legem XII pertinere non posse.

[2]) '*Tribunicia rogatione*' voluit Ursinus, '*Triginta lictoribus*' Rubinone auctore Muellerus.

[3]) Numquam autem apud Festum vel '*L. Aelius*' vel inverso ordine '*Stilo Aelius*' nominatur, de quo p. 355 v. tumulum inferendo Merkelius

quam idcirco non eo procedam cum Merkelio l. l., ut eos omnes non ex ipsius L. Aelii, sed ex discipulorum eius maxime Varronis scriptis haustos a Verrio esse statuam: qui mire argumentatur non decuisse Verrium familiarem eandemque honorificam appellationem. Sed propior caussa est. Nimirum vir illustrissimus 'antiquitatisque Romanae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus' (Cicero Brut. 56, 205), grammaticae disciplinae conditor et patronus, Varronis magister a populo celebratus carere poterat accuratiore nominis significatione: de illo cogitabat quisquis Aelii nomen praedicari audiebat. Contra Aelii Galli et intra angustos fines sese continuit doctrina et ad augenda aequalium studia gravius momentum nullum habuit. Quae cum ita sint, iam cum summa confidentia pronuntiare licet: ubicunque apud scriptores simplex Aelii mentio extet, unum L. Aelium Stilonem intellegi. De qua re ut nemo dubitabit apud Ciceronem Brut. 46, 169. Quintilianum I 6, 37. Suetonium de gramm. et rhet. p. 101 Reiff. et p. 138 (loco a Reifferscheidio emendato), Servium ad Virg. Ge. I 75. Isidorum Or. X 159. Arnobium adv. gent. III 38: ita est tamen ubi etiamnum controversiae obnoxia esse putetur.

Atque in Ciceronis Topicis c. 2, 10 '*cum lex assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples enim est assiduus, ut ait* A e l i u s, *appellatus ab aere* (l. *asse*) *dando*' de Sex. Aelio haec accipiunt cum aliis Dirksenus, Suringarus, Orellius, Huschkius, de C. Aelio Gallo Eggerus; perperam utrumque, opinor. Nam Aelium Gallum non magis Cicero novit quam Varro; a veteris autem ICti indole abhorret etymologica vocis explicatio qualis Aelii grammatici demum doctrina informari potuit. Atque eodem ducimur inde, quod in Pauli excerptis p. 9 v. Assiduus eadem derivatio commemoratur '*alii eum qui sumptu proprio militabat*, *ab* a s s e d a n d o *vocatum existimarunt*'[1]) cui Verrius ni

cogitavit et ante eum van Housdius; qui peius etiam p. 327 v. Salios '*Critolaus*' mutavit in '*Stilo Aelius*', quasi veniam inde nactus, quoniam et Aelium constat carmina Saliaria explanavisse et Critolaus qui sit ignoramus.

[1]) redit etiam apud Ciceronem de rep. II 22, 40 sine auctoris mentione, ubi itidem 'ab *asse* dando' cum Osanno restituendum, ut idem

fallor adscripserat Aelii nomen, sed Lucii ille quidem, non Sexti. Illius igitur XII tabularum interpretationem hic quoque agnoscemus.[1])

Huc deinde revocandus est locus Plinianus N. H. XIV 92 sq. '*Lautissima apud priscos vina erant murrae odore condita, ut apparet in Plauti fabula quae Persa inscribitur... Scaevolam quoque et Laelium et Ateium Capitonem in eadem sententia fuisse video, quoniam in Pseudolo sit "quodsi opus siet, ut dulce promat indidem, ecquid habet? :: Rogas? Murrhinam, passum, defrutum, mella.*" Quo loco pro Laelio L. Aelium post Maiansium reduxit van Heusdius, A o l i u m simpliciter et codicum episcopi Aleriensis fide et auctorum indice Pliniano nisus restituit Ritschelius Parerg. I p. 371 sq. Cui et hac in re assentior et quod de Sex. Aelio non esse cum Harduino cogitandum docuit: non assentior, quod iureconsultum intellegendum esse eumque C. Aelium Gallum existimavit. Quid enim est, cur de re non minus antiquitatis scientiae quam iuris propria nequeat inter duos iureconsultos etiam grammaticus homo dici Plautino versu usus esse ad demonstrandum? Neque enim quod supra vidimus hac disciplinae adeo tum separatae inter se fuerunt. Quodsi acrius instas, praesto est ipsa XII tabularum interpretatio; in quibus cautum fuit, ne murrata potio mortuo inderetur (Varro ap. Festum p. 158 M.): atque id ipsum iam Gothofredus ad locum Plinianum adhibuit (in Ottonis Thes. III p. 145): etsi incautius ratus Laelium Felicem posterioris temporis iureconsultum[2]) ista legis verba commentantem a Plinio citari. Nam id quidem nolim magnopere urgere, quod ex Festi loco p. 273 v. reus, ubi Aelii Galli definitione praemissa pergitur '*at Capito Ateius in eadem quidem opinione est, sed e x e m p l o adiuvat interpretationem*' Mercklinus effecit (in Fleckeiseni Annal. phil. vol. suppl. III p. 679) Aelium Gallum exempla glossis addere non consuevisse.

Denique Priscianus p. 792 P. I p. 382 H. in enumeratione

---

apud Gellium XX 1, 12 (et Plinium XVII 1, 7) corrigendum ex XVI 10, 8 (Gaius III 223). Adde Quintilianum V 10, 55. Charisium p. 58.

[1]) Iam video Kayserum h. l. ex cod. Leidensis scriptura '*lelius*' etiam iustum praenomen Aelio restituisse.

[2]) cf. de illo quae Ritschelius citat l. l. quibus addendus est Mercklinus Philol. XVI 168 sqq.

verborum quae communia dicuntur, id est deponentium et active et passive usurpatorum [1]) ad verbum testandi haec citat '*Aelius: inpubes libripens esse non potest neque antestari.* προδιαμαρτυρηθῆναι.' [2]) '*Laelius*' ante Hertzium vulgabatur ex libris deterioribus: at cum in Halberstadiensi, quem ceteris praetulit, Krehlius referret extare '*celius*', inde C. Aelii nomen cum summa veritatis specie, si argumentum spectas, reposuit Lachmannus in Annal. iur. scient. histor. XI 116 (et ad Gaium I 119).

Iam vero cum non tantam esse illius codicis auctoritatem nunc quidem satis exploratum sit idque ipsum num '*celius*' extet parum liqueat (cf. Hertzius ad l.), ex optimorum codicum scriptura '*melius*' — quae eadem est in Quintiliani Guelferbytano simplicis nominis 'Aelius' corruptio — Hertzius dedit '*Aelius*', de re nihilo setius Lachmanno adstipulatus. [3]) Cui ne ipse quoque adstipuler, praeter illud quod posui Gellii locus facit N. A. XV 13, 11: qui cum plane eodem consilio verborum communium conspectum agat, in eo numero et ipse verbum quod est '*testor*' refert addito exemplo ex XII tabulis: '*Qui se sierit testarier libripensve fuerit, ni testimonium fariatur, inprobus intestabilisque esto.*' Quod si cum Prisciani loco contuleris, utroque raram vocem '*libripens*' iunctam cum raro eiusdem verbi usu passivo deprehendis: quid igitur aliud in promptu est statuere nisi alterum ad alterum respicere ita quidem, ut legis verba ab Aelio accuratius describi dicantur? Neque enim aliter offensio tollitur quam non sine caussa non-

---

[1]) Verbo commemorem eam enumerationem etsi recte Lachmannus affirmat a bono auctore vetere perfectam esse, tamen nunc mire turbatam legi ac videri ex duobus potius fontibus conflatam esse, ex parte etiam interpolatam: quam rem alio loco uberius persequar.

[2]) προςδιαμαρτ. Salmasio praeeunte Lachmannus, at ea correctione non opus est. cf. Porphyrio ad Horat. Sat. I 9, 65 '*antestari est ergo ante testari, scilicet antequam manum iniciat*': quae male vexavit novissimus editor. Eandemque sententiam pluribus exequitur Ritschelius Mus. rh. VII 574. Quamquam aptius ni fallor cum '*anhelo*' hoc verbum coniunges: ut praepositio par sit graecae ἀνά, umbr. an. cf. Lottnerus in Kuhni Annal. VII p. 21.

[3]) Probat etiam Rudorffius H. i. r. I p. 236 ac 'non sine dubitatione' Huschkius Iur. ant. p. 29: de Laelio Felice etiam intellegi posse ex librorum fido opinatus p. 73 not.

nullis habere visus est infinitivus passive usurpatus grammatico aut ICto imputandus — quam non sustulit Lachmannus, etsi merito eos refutavit qui activam significationem substituerunt —: cum forma immutata ex lege in commentarium transierit. Itaque ne hic quidem locus quin ex L. Aelii XII explanatione haustus sit, ullus dubito. Atque ad eandem nescio an Thesauri latinitatis testimonium pertineat ab A. Maio nuper publicati (Cl. Auct. t. VIII p. 310): '*Libripens, ensis* (l. *endis*), *eo quod de manu eius pendeat libra, unde Naevius: Qui libram tenet appelletur* (l. *appellatur*) *libripens*' (cf. ib. p. 326): cui pro Naevio aut fallor aut '*Aelius*' restituendus est.

Aliter omnino statuendum est de Charisii loco p. 56 P. 73 K., quem talem vulgaverat Putschius '*unde et sepulchrum hodieque manet, quod sit seorsum a pulchro propter recordationem doloris. Sepulchrum ab adverbio seorsum et pulchrum alius tractum dicit, quod in hoc nomine componitur semis et pulchrum, quia pulchrum superficie et intus plenum ossibus.*' Ubi etiamsi iure '*Aelius*' substitutus esset a Cannegietero Obss. iur. rom. I p. 11 et post eum a R. Ungero de Valgii Rufi poem. p. 197, minime tamen, quem hic quidem voluit frustra provocans ad Fest. p. 339 v. sepulchrum, Aelius Gallus intellegendus foret: quem nusquam invenies etymologiarum auctorem. Verum haec correctio probabilitate vel hinc prorsus caret quod duas in hac sententia temere conflatas esse explicationes quivis videt: ut sententiae certe melius consuluerit Vaassenus Animadvv. ad fast. p. 223 scribendo '*sepulchrum ab adv. seorsum et pulcrum alius tractum dicit, alius, quod in hoc n.* e. q. s.' Atqui et huic et illis hoc obstat, quod totum hoc enuntiatum iam satis et propter importunam repetitionem et propter alterius explicationis insulsitatem suspectum ne a codicum quidem memoria fidem ullam habere dudum compertum est — qua re mireris Ungerum non esse deterritum —: quod quin in eo codice quem Putschius h. l. secutus est ab interpolatore satis neglegenti additum fuerit dubitari iam nequit, cum fere idem glossema minus turbatum ex Excerptis cod. Paris. 7530 Keilius protulerit '*aliis placet sepulchrum compositum a semis et pulchro, quia pulchrum superficie intus ossibus plenum.*' Neque enim — quae videtur Keilii sententia esse — hoc ipsum additamentum rece-

ptum a Putschio proprio Marte amplificatum esse et tam inepte mutilatum credo.

Ex Servii Sulpicii Rufi, viri et iuris et litterarum scientia insignis (cos. IↃCCIV), centum octoginta libris etiam XII tabularum interpretationem fuisse magis quam quinque glossae sub eius nomine apud Festum citatae [1]) Gai quaedam verba indicant ex libro V ad legem XII tabularum in Digesta 50, 16, 237 recepta '*duobus negativis verbis quasi permittit lex magis quam prohibuit; idque etiam Servius animadvertit.*' Quae mentio magni sane momenti est, quum Gaius non ipsa lege, sed commentariis prioribus usus sit.

Certius etiam de Antistio Labeone legis interprete constat ex Gellii testimoniis N. A. I 12, 18 '*Praeterea in commentariis Labeonis quae ad XII tabulas composuit ita scriptum est: "Virgo Vestalis neque heres est cuiquam intestato neque intestatae quisquam, sed bona eius in publicum redigi aiunt."*' VI (VII) 15, 1 '*Labeo in libro de XII tabulis secundo acria et severa iudicia de furtis habita esse apud veteres scripsit.*' XX 1, 13 sq. ubi quae '*in libris quos ad XII tabulas conscripsit*', de L. Veratio tradit referuntur. [2]) De cuius interpretationis ratione cum ex istis reliquiis iudicium facere licet tum ex tota viri indole qualem Gellius describit XIII 10, 1 '*Labeo Antistius iuris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit et consulentibus de iure publice responsitavit, (set) ceterarum quoque bonarum artium non expers fuit et in grammaticam sese atque dialecticam literasque antiquiores altioresque penetraverat Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat eaque praecipue scientia ad enodandos plerosque iuris laqueos utebatur;*' — id quod confirmant glossae Labeonis plurimae apud Festum servatae. Apparet autem haec coniuncta iureconsulti

[1]) p. 174 Noxia, p. 210 pedem struit, p. 321 sanates, p. 322 sarcito, p. 376 vindiciae.

[2]) Huschkius 'Gaius' p. 212 n. 21 quod Labeonis de damno aedificii vitio, non vi divina dato placita D. 39, 2, 24 § 4 et 5 ad legis interpretationem refert, cum haec ex lege cauta esse videantur, id idoneo fundamento caret. Sed possit aliquis morbi definitionem apud Gellium IV 2 a Labeone ad legem (II 2 s. I 3) adnotatam intellegere, quam ex libris ad edictum aedilium curulium scriptis repeti Huschkius opinatur Iur. antei. p. 47 n. 16.

atque grammatici officia in nulla re aptius quam in enarratione antiquae legis exerceri potuisse.

Denique inter eiusdem aetatis scriptores M. Messalla quoque augur (cos. IOCCI cf. Macrob. Sat. I 9, 14), e cuius de auspiciis libris quaedam Gellius exscripsit XIII 14—16, euiusque extat ex mythologici argumenti scripto [1]) dictum de Iani vi ac natura ap. Macrob. l. c. (cf. etiam Laur. Lydus de mens. IV 1) — XII interpretatus esse creditur adhibitis tribus Festi locis ita vulgo suppletis:

p. 253 v. *(pecunia) .... (Idem tamen) in eodem libro ...... (lucar a luce)* [2]) *dici existimat (cuius opinionis est et Valerius Mes) salla in explana(tione XII tab.).*

p. 321 v. *(sanates .... Ne Valerius (quidem Messalla) in XII explanati(one rem expedivit. hic ta)men in eo libro qu(em de dictis in)volute inscribit for(ctos sanatisque) duas gentes finitimas (fuisse censet, de quibus le)gem hanc scrip(tam esse qua cautu)m, ut id ius man(cipii nexique* [3]) *quod populus) R. haberent.*

p. 355 v. *Tugu)ria ... quo nomine (Messalla in explana)tione XII ait etiam (........ signifi)cari.*

Iam hunc ultimum locum nullam omnino vim habere patet. Sed in illis quoque duobus id ipsum requiritur quo ad persuadendum maxime opus sit. In priore enim libri, in altero auctoris nomen incertum est. Atque priore '*XII tab.*' iniuria suppleri res ipsa quae explicatur docere poterat a legis argumento remotissima. Immo — quod per spatium non minus licet — '*in explanatione auguriorum*' restituendum fuit exemplo loci p. 161 '*Marspedis sive sine r littera Maspedis in precatione solitaurilium quid significet, ne Messala quidem augur in explanatione auguriorum reperire se potuisse ait.*' Cui non leve adminiculum accedit glossarum vicinia: nam brevi intervallo alia sequuntur de iure augurum (v. *peregrinus ager* Muell.); nec magis dubito quod his proxime antecedit '*purime tetinero dictum est pro purissime tenuero*' (cf. Paulus) eidem ad-

[1]) Vix enim h. l. de eisdem auspiciorum libris cogitare licet: qua de re dubitat Merkelius ad Ovid. Fast. p. XCVIII.

[2]) '*lucar aes quod ex lucis capiatur*' suppl. Huschkius Iur. ant. p. 38 secutus Paulum Exc. p. 119. cf. Gloss. Vat. VI 532 M. Thom. Thes. nov. lat. p. 308. 325 M. Gloss. Paris. p. 198 Hild.

[3]) supplevit Huschkius: antea '*man(ifesto)*' fuit.

scribere, cui haec debentur p. 351 *'Bene sponsis beneque vole ris[1]) in precatione augurali Messalla augur ait significare spoponderis, volueris'* et *'serpula serpserit* (leg. *serpsit*[2])) *ait idem Messalla "serpens inrepserit."*

---

[1]) *'volueris'* cod. quod *'volis'* mutavit O. Muellerus Priscianum secutus p. 848 P. (I p. 456 H.): ubi tamen et *'volim'* idem esse quod *'velim'* dicitur et ipsa forma fide haud videtur digna esse (cf. Hertzius ad l.). Itaque aut *'volsis'* quod ab ipso propositum reiecit Muell. obloquente Madvigio Opusc. II 75 n., aut quod equidem praefero, *'voleris'* sicut supra *'tetinero'* et *'monerint'* Pacuv. apud Paulum p. 373 — Scaligero et Lipsio auctoribus scribendum est.

[2]) *'serpsit'* corrigendum esse cum antiquus usus monet tum similis locus p. 348 (cf. Paulus) *'Serpsit antiqui pro serpserit, unde videntur serpulae dictae quas nunc serpentes dicimus ex graeca, quia illi* ἑρπετά, *nos pro adspiratione illorum* S *littera posita ut* ἕξ *sex* ἑπτά *septem.'* Quam glossam etsi perperam Dacierius cum illa conglutinare transponendo et corrigendo voluit, tamen quin Messallae auguri ipsa quoque tribuenda sit, iam dubium esse nequit. At datur etiam ultra prodire. Namque si cum loco modo citato conferimus p. 290 *'suppum antiqui dicebant quem nunc supinum dicimus ex graeco, videlicet pro adspiratione ponentes (s) litteram, ut cum idem hylas dicunt et nos silvas, item* ἕξ *sex et* ἑπτά *septem;'* et p. 293 (cf. Paulus) *'Semis, semodius, semuncia; qua ratione ex Graeco trahuntur etiam alia, quae s litteram pro aspiratione eorum habent, ut* ἑπτά *septem,* ὕλαι *silvae, sic ista ab eo quod illi* ἥμισυ *dicunt declinata sunt':* apparet haec tria ex eodem fonte hausta esse. Qui fons aut fallor aut fuit Messallae liber de s littera, e quo quaedam protulit Quintilianus I 7, 23 cf. IX 4, 38. I 5, 15. Quamquam non ignoro huius libri auctorem vulgo dici M. Valerium Messallam Corvinum, Messallae auguris ex fratre patrueli nepotem — non filium ut placet Graefenhanio Hist. phil. II 374. IV 60. 117 —, clarum Augusteae aetatis oratorem (cos. IↃCCXXIII), ipsumque Quintilianum de hoc oratore cogitasse videntur innuere verba I 7, 35 *'aut ideo minus Messalla nitidus quia quosdam totos libellos non verbis modo singulis, sed etiam litteris dedit.'* cf. X 1, 113 *'at Messalla nitidus et candidus'* e. q. s. Verum ne Quintiliani quidem memoriae in tali caussa nimis confidam. Gravius quidem lapsi sunt qui ad Messallam oratorem etiam auguralia scripta rettulerunt Vossius de hist. Lat. I 18 p. 89. Harlesius Introd. in notit. lit. rom. II p. 348. Passowius, alii, recte notati a Wiesio de M. Valerii Messallae Corvini vita et stud. doctrinae Berol. 1829 p. 76. Nec vero maiore iure XII tabularum illam explanationem et libros de dictis involute eidem vindicant idem Harlesius p. 347 et Fischerus Tabb. chronol. rom. p. 369, quam rem in medio relinquit Wiesius l. c. Omnino grammaticis studiis Messallam Corvinum — quem 'Corvinum' simpliciter Festus dicit p. 359 — operam navasse aliunde non discimus neque eam in par-

At ne 'Valerius' quidem nomen recte illo loco additur: quo nusquam Messallam augurem auctum invenies non modo apud Festum, sed non magis apud Gellium, Macrobium (cf. Sat. I 16) aliosve. Unde iam Huschkio Iur. ant. l. l. n. 9 suspitio est nata non eundem esse atque augurem Valerium Messallam, qui ad legem XII tabularum et de dictis involute scripserit. At hoc neutiquam sufficit. Nam priore loco sane idem est, modo ne 'Valerium' temere inferas: altero loco ne Messalla quidem est, quem adeo nimia liberalitate utriusque simul scripti auctorem esse voluerunt. Neque enim quod dicitur '*in eo libro qui de dictis involute inscribitur*', inde sequitur eundem scriptorem dici: cf. modo p. 289 v. '*referri*'. '*Veranius in eo qui est auspiciorum*' et v. '*reus*' '*Sinnius in eo quem scripsit*' ... Macrobius Sat. III 6, 14 '*Veranius pontificalium eo libro quem facit de Supplicationibus;*' I 9, 13 al. Quod utut se habet, hoc certum est neque hic neque p. 355 Messallam citari, sed Valerium — etsi de altero loco ne id quidem decerni licet. — At quinam sit ille Valerius, qui scripsit XII explanationem, res est plena dubitationis. Notatur quidem a Varrone de l. l. VII 65 Valerius quidam Plautinam vocem interpretatus '*scrupipedas Aurelius scribit ab scauripeda .... Valerius a pede ac scrupea*': a quo illum non diversum esse in alta ceterorum fontium reticentia tuto existimabimus. A Varrone autem Q. Valerium Soranum significari poetam Ciceronis familiarem (Brut. 46, 169), cuius ab eodem Varrone memoratur dictum VII 31 '*vetus adagio est, o P. Scipio*' et grammatici argumenti versus X 70 '*Accius Hectorem nolet facere, Hectora malet*' — item prisci vocabuli 'flavisae' interpretatio (ap. Gellium II 10, 3), haud inepta Meyeri coniectura est ad Brut. l. c.[1]), cum praesertim Cicero de or. III 11, 43

tem valent quae de vocis 'litterator' usu ex epistulis eius Suetonius affert de ill. gramm. c. 4. Caeterum praeter illas de quibus modo dixi Festi glossas etiam p. 161 v. 10 *Minorum pontificum* et v. 18 *maximum praetorem* ad Messallam augurem, cuius ibidem est v. 27 *Marspedis*, revocanda videntur: scilicet simillima eorum quae ab eodem profecta extant p. 157 *Minora itemque maiora auspicia* et plenius enarrata ap. Gellium XIII 15.

[1]) Quamquam quo is iure ex illo loco Varronis VII 65 concludat Varronem Valerii 'de lingua latina' libris usum videri non magis asse-

eum appellet 'litteratissimum' et alio loco (Brut. l. l.) et ipsum et Decimum fratrem non tam in dicendo admirabiles quam doctos et Graecis litteris et Latinis. cf. O. Iahnius ad h. l. Alius in promptu est L. Valerius ICtus Ciceronis familiaris (ad fam. III 1 extr.), ad quem data est epistula libri I ad fam. ultima satis illa festive scripta — quibus tamen locis significari videtur parum eum profecisse in iuris peritia —: cuius quod per iocum ep. VII 11 cum Laberii iungitur mentio, non est, cur inde eum vel Atellanarum vel mimorum scriptorem fuisse statuas cum Ribbeckio Com. lat. p. 257 sq. et Hertzio ad Prisc. I p. 200.[2]) Haec igitur difficultas in medio relinquenda erit.

Iam vero missis eis, quos confidentius quam fecit excludere poterat Suringarus, M. Catone, A. Ofilio, Ateio Capitone — certe eodem iure etiam Varronem, Cincium, Sinnium Capitonem, Verrium Flaccum, qui hic illic legis meminerunt[3]), in interpretum numerum referas — post longum temporis intervallum statim ad Gaium devehimur Hadriano et Antonino regnante ultimum legis commentatorem. Is autem pro diversa suae aetatis indole viam ab istis grammaticis munitam deseruit — id quod ex parte iam Antistius Labeo fecit — atque quamquam ab ipsis urbis initiis egressus est[4]), tamen in interpretatione certos disciplinae suae fines non excessit: qui non tam legem ex lege explicare suscepit quam ea quasi vehiculo usus est ad interiorem iuris doctrinam, qualis tempore procedente

quor quam quinam probaturus sit versum X 70 ex Valerii satiris desumptum esse. Nec satis apte sub 'Vallegii' persona, cuius ex 'actione' versus de Terentio notissimi in Donati additamento ad vitam Terentii Suetonianam citantur 'Valerium' eumque Soranum Keilius quaesivit in Ephemer. litt. Hal. 1849 p. 470: quo de cf. Ritschelius in comm. ad vit. Terent. p. 530 ed. Reiff. Valerii Sorani libros ἐποπτίδων Plinius novit N. H. praef. extr.: ex quibus hausti videntur versus de Iove apud Augustinum C. D. VII 9 (et Mythogr. Vat. p. 152 Bode) servati.

[2]) Verba '*mira enim persona induci potest Britannici ICti*' ad lusum inter familiares faciendum aeque bene spectare possunt. De Valerio Catullo poeta male haec acceperunt et alii et I. G. Huschkius de C. Annio Cimbro p. 27 n.

[3]) cf. Festus p. 158 Murrata, p. 162 nec, p. 173 nuncupata, p. 321 sanates, p. 363 talionis.

[4]) cf. praefatio in Dig. 1, 2, 1.

auctis studiis ac latius propagatis effecta erat, illustrandam. Hoc enim satis docent viginti fragmenta quae ex commentariis eius excerpta in Digestorum compilationem transierunt.[1]) Non igitur miraberis, quod Gaius quaedam parum caute legi tribuit atque quod ne ipsius quidem legis exemplar tractasse videtur, sed in priorum interpretum scriptis acquievisse.

Itaque XII tabularum interpretatio initio totam iurisprudentiam complexa est, postea grammaticorum et litteratorum studiis vindicata, postremo in novum iuris scientiae quasi horreum recepta a summa doctrinae expolitae copia hausta est et obruta.

CAPVT TERTIVM.

DE XII TABVLARVM RELIQVIIS COLLIGENDIS.

Ex eis quae in prioribus exposui de legis memoria, satis cognoscitur ei qui in reliquiis investigandis studium ponat summam cautionem adhibendam esse, ne quid tamquam proprium legi recipiat quod vel interpretatione prudentum demum ex legis institutis repetitum sit vel mero errore ad XII referatur. Atque prius quidem genus quod iam supra tetigi suapte natura certum iudicium saepenumero non admittit; tamen est ubi vel qui diligentius huius rei rationem habuit Dirksenus nimiae indulgentiae incusandus videatur. Qui quo iure prodigi curationem in lege ipsa cum furiosi coniunctam fuisse Ulpiano crediderit, iam notavi. Idem autem cum Gai loco II 157 '*Sed*

---

[1]) Inde ea sub unum conspectum congesta ediderunt Gothofredus (in Ottonis Thes. III p. 147). Heineccius Hist. iur. I 2 § 32. Hommelius Palingenesia libr. iur. veterum I p. 117 sqq. Nam praeterea quae ex Gaio dicuntur apud Io. Laur. Lydum de mag. I 26 et 34 servata esse, quin Pomponii sint ex fragmento Digest. de orig. iur. desumpta nec nisi errore in inscriptione commisso Gaio tributa, non puto iam dubitari posse — etsi de altero certe loco etiam Huschkius dubitat Iur. ant. p. 308 n. — cf. Hefftерus Mus. rh. iur. II 123 sq. Dirksenus 'Vermischte Schriften' p. 56 sqq.

olim quidem quantum ad legem XII tabularum attinet, etiam feminae agnatos habebant tutores' non contineri peculiare praeceptum suo quidem iure contendit: tum parum apte eum ad § 155 *'Quibus testamento quidem tutor datus non sit, eis ex lege XII agnati sunt tutores qui vocantur legitimi'*[1]) revocavit miro modo argumentatus videri in ista lege (V 6) praeter pupilli pupillae quoque mentionem fuisse eamque ex posteriore usu de omnibus feminis quae tutore egerent esse acceptam (p. 306). At si conferas Gai. II 47 *'Item [res] mulieris quae in agnatorum tutela erat, res mancipi usu capi non poterant praeterquam si ab ipsa tutore (auctore) traditae essent: et ita lege XII tabularum cautum erat':* hinc potius patet illud conclusum esse. Contraria fere est ratio II 64 *'Ex diverso agnatus furiosi curator res furiosi alienare potest ex lege XII tabularum':* id quod vero statuit Dirksenus p. 308 ex sola interpretatione legis de agnatum gentiliumque in furioso eiusque pecunia potestate (V 7) proficisci.

Iam vero sine ulla idonea caussa Dirksenus ex Ulpiani testimonio D. 2, 14, 7 § 14 *'Nam et de furto pacisci lex permittit'* coll. Cod. 6, 2, 13 *'Post decisionem furti leges agi prohibent'* proprium de furti pactis edictum effecit, quod adeo a ceteris de furto statutis in octavam tabulam coniectis segregavit et ad alteram tabulam transtulit non alio fundamento nisus, nisi quia et Labeo in libro de XII tabulis secundo acria et severa iudicia de furtis habita esse apud veteres scriberet (Gell. VI 15) et Gaius in primo libro ad legem XII tabularum *'eos qui arbores et maxime vites ceciderint, etiam tamquam latrones puniri'* referret (D. 47, 7, 2 cf. 4) ibidemque toli notionem explanaret (D. 50, 16, 233): cum illum singulas, hunc binas tabulas singulis libris interpretatum esse sibi sumeret cum Gothofredo (p. 113 sqq.). Quae quam sint infirma, pluribus demonstrare otiosum fuerit. Omnino autem credibile non est pactis de furto singulari praecepto prospectum fuisse in lege: ubi breviter soleat inseri: *'rem ubi pacunt orato. ni pacunt*

---

[1]) Hunc morem non ex lege demum proficisci, sed ex ipsa natura ipsisque familiae rationibus vix est quod moneam. cf. Sigism. Szułdrzyńskius de orig. ac progressu tutelae muliebris quae ap. Rom. obtinuit Berol. 1853 p. 13 sqq.

c. q. s.' et '*si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto* (I 6. VIII 2). Atque sagaciter Huschkius 'Gaius' p. 124 ex VIII 16 '*si adorat furto* (i. e. si agit de furto) *quod nec manifestum erit*' exceptionem ab Ulpiano statutam, ut quae ipsa condicione tacito comprehenderetur, repetiit.[1])

Aliis locis vel magis fontium fides quam late pateat in reddendis XII tabularum institutis, dubitari poterit. Ita quod Paulus D. 43, 8, 5 tradit '*si per publicum locum rivus aquae ductus privato nocebit, erit actio privato ex lege XII tabularum ut noxae domino caveatur*' — quamquam ad damni infecti cautionem referri ac separandum esse ab actione aquae pluviae arcendae (VII 8), quae quidem de publico loco parum valeat (cf. D. 39, 3, 3 § 3. 18 pr.), persuasit Huschkius l. l. p. 210 sq. — nihilo minus ex illa ipsa quasi dilatata descendere putaverim cum Gothofredo Not. p. 180 et Dirkseno p. 489. De Institutionum autem loco 2, 1, 41 (VII 11) '*Venditae vero (res) et traditae non aliter emptori acquiruntur quam si is venditori pretium solverit vel alio modo satisfecerit veluti expromissore aut pignore dato. Quod cavetur quidem etiam lege XII tabularum*' e. q. s., Dirksenus cum Ottonis dubitationes (Thes. III praef. 21) totum argumentum a XII abiudicantis removeret, ipse negare non potuit plura videri inesse legi supposita, velut traditarum rerum et expromissoris mentionem. Quod idem haud scio an Ulpianus commiserit D. 9, 1, 1 pr. (VIII 5) '*Si quadrupes pauperiem fecisse dicetur, actio ex lege XII tabularum descendit: quae lex voluit aut dari id quod nocuit, id est id animal quod noxiam commisit aut aestimationem noxiae offerri*': cuius optionis nullum est vestigium in altero huius praecepti fonte Inst. 4, 9 pr. '*quae animalia si noxae dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex XII tabularum scripta est.*'

Nec si quid ex Gai in XII tabulas commentariis citatur, ideo statim ad legem revocandum erit: quod monet ipsa huius interpretationis ratio. Itaque de verbis ex tertio eius libro Dig. 48, 6 ad leg. Iuliam de adult. l. 43 repetitis '*si ex lege repudium missum non sit et idcirco mulier adhuc nupta esse videatur, tamen si quis eam uxorem duxerit adulter non erit . . . idque dicen-*

---

[1]) Contra Sellium qui similiter VIII 19 transtulit ad VI 2, merito refellit Rudorffius in Annal. iur. scient. histor. XIV 461 sq.

dum, ne is, qui sciret eam ex lege repudiatam non esse, dolo malo committat' legem Iuliam potius quam XII ex Digestorum titulo intellexit cum Balduino et Augustino Dirksenus p. 296. Iam aequo de sexti libri fragmento D. 44, 6, 3 (XII 5) *'rem de qua controversia est prohibemur in sacrum dedicare: alioquin dupli poenam patimur'* num ad XII respiciant dubitare licet: quae dubitatio non tollitur eis quae sequuntur: *'sed duplum utrum fisco an adversario praestandum sit, nihil exprimitur.'* At quarti libri locum D. 47, 9, 9 (VIII 9) *'qui aedes acervumve frumenti iuxta domum positum combusserit, vinctus verberatus igni necari iubetur, si modo sciens prudensque id commiserit: si vero casu, id est neglegentia, aut noxiam sarcire iubetur aut si minus idoneus sit levius castigatur. Appellatione autem aedium omnis species aedificii continentur'* — iniuria in dubitationem vocaverunt Heuslerus De ratione in puniendis delictis culpa commissis ap. Rom. servata Tub. 1826 p. 17 sqq. et Waechterus De crim. incend. Lips. 1833 p. 22 sqq., cum de supplicio, quale fuerit imperatoria aetate acciperent. Cui rei ut parum patrocinii accedit ex praesenti tempore *'iubetur'*, *'castigatur'* utpote in interpretatione certi praecepti legis a Gaio antea propositi versante, — ceteris enim quae affert Waechterus p. 24. 26 sq. argumentis vereor ut ipse magnam vim tribuerit —: ita neque ipsa poenae descriptio[1]) neque antiquus verborum color (*'noxiam sarcire'* iubetur cf. T. VIII 13. Gellius XI 18, 8) nec denique vocabuli quod est 'aedes' explicatio convenit: quae quidem prorsus ex more est legis interpretum cf. Gaius D. 50, 16, 62 *'Tigni appellatione in XII tabb. omne genus materiae ex qua aedificia constant significatur.'* 236 § 1 *'Glandis appellatione omnis fructus continetur.'* 233 § 2 *'Telum vulgo quidem id appellatur quod ab arcu mittitur, sed nunc omne significatur quod mittitur manu.'* al.

Graviori vero offensioni sunt quae de furtorum poenis lege institutis Gaius tradit Inst. III 191 sq. *'Concepti et oblati* (sc. furti) *poena ex lege XII tabularum tripli est eaque similiter a praetore servatur. Prohibiti actio quadrupli ex edicto praetoris introducta (est): lex autem eo nomine nullam poenam constituit; hoc solum praecipit, ut qui quaerere velit, nudus quaerat, linteo cinctus,*

---

[1]) cf. Dirksenus p. 553 sq., qui eadem de caussa non posse de Praetoris edicto cogitari (cf. Collat. XII 7) statuit.

lancem habens: qui si quid invenerit, iubet id lex furtum manifestum esse.' Haec aperto hiulca sunt. Qui enim furti concepti, i. e. quaesiti et inventi (cf. § 186. Paulus Sent. II 31, 3, 5)[5]) tripli poena fuisse potest, cum eadem statim dicatur par fuisse poenae manifesti furti? Manifestum autem furtum vel capitali supplicio vel addictione vindicatum esse antea dixerat § 189. cf. Gellius XI 18, 7 sq. Quae conciliare viri docti conati sunt ita, ut duo legis praecepta apud Gaium discernerent: quamquam de ipso discrimine parum consentientes. Schwoppius enim (Hist. iur. Rom. § 328 p. 490) aliique cum modum quaerendi cum lance et licio in utroque eundem ex lege fuisse statuant, tum altero praecepto poenam manifesti furti — 'quadrupli' poenam vitiose et Schweppius obtrudit et Ludenus de furti notione p. 18 — si res apud ipsum furem, altero tripli poenam, si apud eum, cui a fure oblata fuerit, concepta sit, sanciri existimant. Quod sat mire inventum tantum abest, ut vel ex Gai verbis subsidium sibi paraverit vel ut Gaio bene consuluerit, ut potius ipsum Gaium gravissimum adversarium habeat: cuius et sententiarum ratio atque nexus et verba '*concepti et oblati poena ex lege XII tabularum tripli est*' (cf. § 186 sq.) et maxime § 193 '*quod ita quaesita res inventa maiori poenae subiiciatur*' vim sibi fieri vetant. Itaque plerique in eam sententiam cesserunt quam primus quod sciam Ludenus de furti notione secundum ius rom. (Ienae 1831) p. 18 pronuntiavit, copiosissime omnium illustravit Vangerowius de furto concepto ex lege XII tabularum (Heidelb. 1845) p. 18 sqq.: ut simplicem inter et sollemnem furti quaestionem distinguerent; quarum alteram vulgarem esse, alteram (cum lance et licio) non institui nisi adversus eum qui, simplicior illa quominus perageretur, prohibuerit: unde effici, ut hanc, utpote quae et quaerenti molestissima sit et maiorem prodat furis fraudem atque importunitatem, manifesti furti poena, illam levior tripli sequatur. Utramque igitur legem in hunc modum

[5]) Mira et ratione et inconstantia Huschkius de tigno iuncto p. 11 'concipere' repetit a re cum aliis capienda, quia 'testibus praesentibus' capitur (Gai. § 186): p. 12 furtum concipere nihil aliud dicit significare nisi 'ipso facto reperiendi animo concipere et persuaderi hanc eam rem esse quam furto perdiderit.'

restituit Huschkius de tiguo iuncto p. 10 n. 'Apud quem furtum conceptum esit queique ei obtulit, nei apud se concaperetur, triplo pro fure damnum deceidito; sei quaerere prohibesit, nudus lance et licio quaerito, ita sei concapit, furtum manifestum esito' (sic). — Ac tale quid revera sensisse Gaium verba illa declarant unde simul quam non intellexerit vim huius praecepti apparet § 193 '*Quare lex tota ridicula est: nam qui vestitum quaerere prohibet, is et nudum quaerere prohibiturus est, eo magis, quod ita quaesita res inventa maiori poenae subiiciatur.*' — Atqui vereor, ut haec sufficiant ad scrupulos eximendos caussamque dirimendam. Quid enim? Talem si legem Gaius ante oculos habuisset, num credibile est in ea describenda id ipsum eum omissurum fuisse quod et omitti sine summo sententiae detrimento non poterat et addi, si modo extaret, ipsius quam maxime interesse debebat? Immo verba '*lex autem eo nomine* (sc. prohibiti) *nullam poenam constituit: hoc solum praecipit, ut qui quaerere velit, nudus quaerat*' e. q. s. — si confers § 188 '*Est etiam prohibiti furti adversus eum qui furtum quaerere volentem prohibuerit*' — dilucide ostendunt nec prohibentis nec prohibiti vestigium in lege ullum fuisse, verum de quovis furto concipiendo ita cautum fuisse. Quin istud ipsum '*qui vestitum quaerere prohibet, is et nudum quaerere prohibiturus est*' vix dixisset iure consultus, si in ipsa lege disertis verbis sanctum repperisset, ut is qui prohibitus esset quaerere, cum lance et licio quaestionem institueret: neque enim tum vel tacente lege fugere eum potuit hanc sollemnem quaestionem et ipsam prohiberi fas lege non fuisse. Atque hac in re fidem Gaio denegandam esse ipse Vangerowius concedit p. 22 sq.[1]); etsi is auget errorem; qui quin prohibitum furtum iam ex XII tabularum iure furto manifesto aequiparatum fuerit, nullus dubitet. At, quod dixi, in contrariam potius partem Gai error valet: qui cum semel opinione praecepisset utramque poenam et concepti atque oblati furti et cum lance et licio concepti una ex lege XII repeti, huic opinioni ipsum legis praeceptum quamvis invitum accommodare

---

[1]) cf. Nic. Handjeryus Obss. de furtis p. 25 sqq. qui explicat satis habuisse decemviros quaestionem permittere, prohibitionem quam spes non fuisset fore ut quisquam auderet, non tetigisse.

quoad eius fieri posset coactus prohibendi notionem a lege alienam parum constanti cogitatione interposuit. Eam tamen notionem quod vel inde necessario requiri statuit Vangerowius p. 21, quia voluntatis suspecti, cuius unius gratia hoc quaerendi genus institutum sit, rationem haberi par fuerit — ridicule enim et absurde legem ne postulante quidem illo molestam lancis liciique necessitatem quaerenti impossituram fuisse —: videndum est, ne de illius aetatis incompta simplicitate ritibusque vetusto usu sacratis ex nostri saeculi moribus atque voluntatibus iudicium faciamus. Accedit, quod de ipsius instituti vi ac ratione nec ipsis veteribus satis explorata et recentiorum commentis ineptiisque, quarum sat amplum conspectum egit Vangerowius p. 4 sqq., mirumquantum versata et adeo obscurata diversam ab illius eamque unice veram sententiam nuper Eduardus Boeckingius professus est (cf. eius Ius priv. Rom. Bonn. 1862 p. 150 n. 15), quam ab eo mutuatus pluribus illustravit Nic. Handjeryus Obss. de furtis pro diversitate probationum varie punitis. Lips. 1857 p. 21 sqq., inque eandem sua sponte incidit etiam Otto Iahnius in commentatione de Sophonibae morte in pictura parietis illustrata. Lips. 1859 p. 11: scilicet sacram eam fuisse caerimoniam antiquitus traditam, qua ei qui quaereret, quasi Deorum in tutelam recepto ad veritatem indagandam intrare in alienam domum liceret. — Hunc autem ritum ad furtum concipiendum in universum lege fuisse praescriptum nec intra prohibiti furti fines contentum confirmant qui praeter Gaium eius mentionem faciunt. cf. Paulus Exc. ex Festo p. 117 M '*lance et licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena, licio cinctus intrabat*' e. q. s. Gloss. Taurin. n. 466 ad Inst. 4, 1 § 4 v. quaesitam (in Savignyi Hist. iur. rom. med. aevo II p. 475 ed. 2) '*Ita enim fiebat, ut is qui in alienam domum introibat ad requirendam rem furtivam, nudus ingrediebatur discum fictile* (l. *fictilem*) *in capite portans utrisque manibus detentus.*'[1]) Denique, ne

[1]) Nec aliter res se habet in Attico iure, ubi eundem usum obtinuisse ex Aristophanis Nubibus discimus v. 497 sqq. cum schol. (de quo cf. Wachsmuthius Antiq. gr. scient. II p. 227 n. 15) et ex Platonis legibus XII p. 954 A φωρᾶν δ' ἂν ἐθέλῃ τίς τι παρ' ὁτῳοῦν, γυμνὸς ἢ χιτωνίσκον ἔχων, ἄζωστος, προομόσας τοὺς νομίμους θεοὺς ἦ μὴν

obtundam diutius, iam conficit rem unum Gellii testimonium immerito neglectum XI 18, 9—11: ubi manifesti furti poena ex lege memorata pergit '*Ea quoque quae per lancem liciumque concepta essent, proinde ac si manifesta forent, vindicaverunt* (sc. Xviri). — *Sed nunc a lege illa decemvirali discessum est. Nam si qui super manifesto furto iure et ordine experiri velit, actio in quadruplum datur . . . Furti concepti, item oblati tripli poena est.*' cf. Paullus Sent. II 31, 14. Redeo igitur in eam sententiam quae ante Gaium inventum valuit quamque contra Gaium servarunt cum alii tum Hauboldus et Mühlenbruchius in notis ad Heineccii Antiq. rom. iurisprud. illustrantium syntagma IV 1 § 22 (p. 610 ed. Mühl.). Iam vides valde infringi Gai fidem: qui XII tabulis tribuere non veritus sit quod serioris temporis usu introductum est. Quem usum seriorem spectat etiam definitio III 186 '*Conceptum furtum dicitur cum apud aliquem testibus praesentibus furtiva res quaesita et inventa est*' — ut bene monuit Puchta Inst. III p. 122 (§ 277): primitus enim conceptum furtum aliud non erat nisi quod lance et licio ex lege conciperetur.

Inter testes suspectos etiam personatus Porcius Latro habendus videtur: qui quod in declamatione in Catilinam 19 profert '*primum XII tabulis cautum esse cognoscimus ne quis in urbe coetus nocturnos agitaret*' (VIII 27), de eo non magis quidquam aliunde compertum est quam de Gabinia lege qua addit promulgatum esse '*qui coitiones ullas clandestinas in urbe conflavisset, more maiorum capitali supplicio multaretur*': cui quidem legi a recentioribus aliquot ICtis fidem derogari video.[1] Parum autem illud firmatur Scholiis Iuvenalis ad sat. 2, 3 '*nam sacra Bacchanalia ex is* (*iis* Sangall.) *condemnata sunt, cum probatum esset senatui honestissimas feminas ad Stimulae Deae lacum foede adulterari*'; ubi pro '*ex is*' non cum Cuiacio quem sequitur Dirksenus p. 746 '*e XII*' sed '*ex SC*' cum P. Pithoeo scribendum esse sententiae nexus persuadet. Iam unde sua hau-

ἐλπίζειν εὑρήσειν, οὕτω φωρᾶν κτλ. Idem in antiquo Germanorum iure comparere monuit Iac. Grimmius in Annal. iur. scient. histor. II p. 91 sq. et Antiq. iur. Germ. p. 640 sqq.

[1]) cf. Dieckius in libro 'Historischer Versuch ü. d. Criminalrecht der Römer' p. 73 sq. Reinius Ius crim. Rom. p. 473.

serit rhetor incertum est: sane mihi quidem dissimile veri non videtur eum seditionis contra decemviros motae narratione ad tale praeceptum fingendum abusum esse: in qua v. c. Appius Claudius apud Livium III 48, 1 minitatus fertur '*certis quoque indiciis compertum se habere nocte tota coetus in urbe factos esse ad movendam seditionem.*'

Haud aeque proclive est de Tacito atque Ammiano Marcellino probatae ceteroquin fidei scriptoribus iudicium. Tacito enim si credis '*primo XII tabulis sanctum ne quis unciario fenore amplius exerceret*' (Annal. VI 16), videris Livio iniuriam facere, qui VII 16 haud laetam patribus C. Marcio Cn. Manlio coss. (a. u. CCCXCVII) de unciario fenore a M. Duilio L. Menenio tr. pl. rogationem esse perlatam et a plebe aliquanto cupidius scitam scribit. Atque haec a Tacito confundi pro certo habuit Montesquievius[1]), eademque et aliorum et Schwegleri suspitio est H. R. II p. 214 n. 1. III p. 286 n. 2. Contra Niebuhrius abiecta hac a qua ipse aliquando non alienus fuit (cf. H. R. II p. 431 ed. 2) suspitione veterem legem statuit post Gallicum incendium in communi omnium inopia et perturbatione abrogatam esse, quo facilius pecuniae expedirentur, deinde tribunorum plebeiscito instauratam (II p. 674 ed. 3. cf. Scholae de hist. rom. ed. Isler. I p. 391). Quod suo ille iure contendit. Maxime enim ne praeceptum de fenore a XII tabulis abiudicemus, Cato persuadet in libelli de r. r. praef. dicens '*Maiores enim nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli*': quo loco leges intellegi decemvirales cum de fure compertum habeamus, non est quod secus accipiamus de feneratore. Abrogatam autem — sive malis oblitteratam cum Goettlingio Hist. reip. rom. admin. p. 285[2]), Mommseno H. R. I p. 292 cf. 274 ed. 3 —

[1]) Esprit des loix XXII c. 22 (Oeuvr. II p. 415 ed. 1764) Si la loi des douze tables avoit réglé cela, comment dans les disputes qui s'élevèrent depuis entre les créanciers et les débiteurs ne se seroit-on pas servi de son autorité? On ne trouve aucun vestige sur le prêt à intérêt, et pour peu qu'on soit versé dans l'histoire de Rome, on verra qu'une loi pareille ne devoit point être l'ouvrage des Décemvirs. Non sufficit quod his opponit Gibbonius (Hist. of the decline c. 44 n. 164) 'Was Tacite ignorant — or stupid?'

[2]) Quamquam is quod iam ante XII in sacratis legibus de unciario

antiquam legem fuisse praestat ex Niebuhrii sententia fingere quam ex Huschkii de iure nexi p. 120 sq. id solum fuisse discriminis quod ad privatam illam poenam, quam quidem effugere saepenumero patricii impune potuerint, ex plebeiscito multa aedilicia accesserit.

Ammiani autem locum admodum miror a nemine adhuc eorum qui his reliquiis colligendis operam dederunt, verbo memoratum, nedum diligentius in discrimen vocatum esse. Ita enim ille de Iuliani Caesaris virtutibus orsus XVI 5 '*Primum igitur factuque difficile temperantiam ipse sibi indixit atque retinuit tamquam adstrictus sumptuariis legibus viveret quas ex rhetris Lycurgi et* (*id est* libri meliores, *item* Gronov.) *axibus (Solonis) Romam translatas diuque observatas, et* (l. *set*) *senescentes paulatim reparavit Sylla dictator: reputans ex praedictis Democriti quod ambitiosam mensam fortuna, parcam virtus adponit. Id enim etiam Tusculanus Cato prudenter definiens, cui Censorii cognomentum castior vitae indidit cultus* '*magna*', *inquit*, '*cura cibi, magna virtutis incuria*' e. q. s. Ubi haud obscure leges XII significat 'translatas ex Lycurgi rhetris et axibus (cf. Gellius II 12 in.) Solonis' hoc enim alterum nomen in libris editionibusque omissum supplevi, quo carere nec per argumentum liceat nec per concinnitatem sermonis; — frustra autem Lycurgum potius expellere Wagnerus maluit — et cf. XXII 16, 22 '*Et Solon sententiis adiutus Aegypti sacerdotum latis iusto moderamine legibus Romano quoque iuri maximum addidit firmamentum.*' Aurel. Vict. de vir. ill. 21, 1. Augustinus C. D. II 16. Isidorus Or. V 1, 1. Iam ex tota huius loci ratione hoc concludere videmur in XII tabulis sumptuarias quoque leges fuisse quibus mensae luxuria extenuaretur certis finibus circumscripta: atque eodem facit quod Sulla dicitur illas reparasse, quem novimus lege cavisse '*ut Kalendis Idibus Nonis diebusque ludorum et feriis quibusdam sollemnibus sestertios tricentenos in cenam insumere ius potestasque esset, ceteris autem diebus omnibus non amplius tricenos*' Gellius II 24, 12, cf. Plut. Sull. 35 παρέβαινε δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς εὐτελείας τῶν δείπνων ὑπ' αὐτοῦ τεταγμένα κτλ. et comp. Lyc. et Sull. 3; quibus ex locis Macrobii error corrigendus est III 17

---

fenore statutum fuisse contendit, solidum fundamentum substruere isti opinioni supersedit.

(II 13), 11. — Attamen neque his locis traditur antiquam legem a Sulla restitutam esse neque omnino de sumptuariis eius modi XII legibus quidquam aliunde innotuit. Quae si extitissent, expectandum erat certe Gellium et Macrobium, qui dedita opera conspectum legum sumptuariarum egerunt ex diversis uterque fontibus haustam — ex Capitonis Atei coniectaneis Gellius — de illa lege primaria unius verbi mentionem iniecturos esse: qui tamen cum plures fuisse eius generis leges etiam ante Corneliam docent, tum 'primam omnium de coenis legem ad populum Orchiam pervenisse' (a. u. IↃLXXI) Macrobius diserte testatur. Erroris igitur crimen vix effugerit Ammianus: cuius eum vel magis convincit quem auctorem nec vero socium erroris mihi videor deprehendere. Nempo Cicero de leg. II 23 sqq. legis XII tabularum de sumptu in funeribus minuondo praecopta illustrat, quibus praeter alia sumptuosa murratae potionis respersio omnisque circumpotatio sublata sit (24 § 60) eaque ex parte translata de Solonis fere legibus nuncupat (23 § 59. 25 § 64). Hinc igitur Ammianum, qui quidem quanto studio Ciceronem prosequatur, non uno historiarum loco videre licet, argumentum repetisse atque memoria lapsum ad diversa transtulisse pro explorato habeo: praesertim cum facile fraudi esso potuerit Sullae comparatio qui de funerum quoque sumptu similia praescripsit: cf. Plut. Sull. 35 τὸν δὲ τῆς ταφῆς ὁρίζοντα τὴν δαπάνην νόμον αὐτὸς εἰσενηνοχὼς παρέβη μηδενὸς ἀναλώματος φεισάμενος.

De Pliniano quidem loco VII 60, 212 '*XII tabulis ortus tantum et occasus nominantur: post aliquot annos adiectus est et meridies*' iam supra verba feci p. 11: ubi cum in ceteris manifesto erratum sit, ne vocabulum '*ortus*' quidem — quod Dirksenus quo iure p. 169 ad I 7 referat, ipse viderit — fide satis dignum esse contenderim. Neque de verbis XII a Servio traditis '*neve alienam segetem pellexeris*' (VIII 8) Gothofredi dubitationem tam celeri pede transiliro debebat Dirksenus. Nam praeter verba '*qui fruges excantassit*' eandem sententiam denuo aliis verbis expressam fuisse haudquaquam probabile est. Accedit autem gravissimum, quod nusquam per haec legis fragmenta vel coniunctivus invenitur pro imperativo vel altera persona pro tertia. Itaque Servium cuius in lege citanda fidem iam ex-

perti sumus (cf. p. 15), hic quoque dicemus usitatiorem locutionem — cf. Plinius XVIII 8, 41 de C. Furio Chresimo: '*ceu fruges alienas pelliceret veneficiis*' — rariori substituisse. Nihili autem est quod Dirksenus p. 541 sq. '*frugum illecebras*' in Apulei Apol. 481 et '*fructus alieni in alias terras transferri perhibentur*' apud Augustinum de C. D. VIII 19 propius abesse a pelliciendi verbo quam ab excantandi iudicat: quod ne cadit quidem in Augustinum, ad versum Vergilianum '*atque satas alio vidi traducere messis*' (Ecl. VIII 99; cf. Marcianus Capella IX § 928) verba sua accomodantem.

Hinc autem ne illud quidem quod sola Servii auctoritate nititur fragmentum '*Patronus si clienti fraudem fecerit sacer esto*' (VIII 21) omni suspitione vacat. Cuius in lege locum fuisse Goettlingius negavit (Hist. reipubl. R. p. 316) propterea, quod legislatione decemvirali clientes omnes tribuum participes facti essent (cf. p. 130. Niebuhrius H. R. II 360): qua in re immerito abutitur praecepto XII de sanatibus et forctis (I 5). Fuit sane multo vetustior legis huius de patroni fraude origo, quae iam ad Romulum refertur a Dion. Hal. II 10. Plut. Rom. c. 13: atque ex his quidem auctoribus, non profecto ex codicis memoria Merula de leg. rom. 2 deprompsit, quod in suo Servii exemplari testantem miror fidem invenisse apud Goettlingium, Beckerum (Antiq. rom. II 1, 162), Schweglerum I p. 640 n. 1. III p. 17 n. 2 alios, '*ex lege Romuli et* (vel malit Goettl.) *XII tabularum hoc venit in quibus sic scriptum est "si patronus clienti fraudem faxit, sacer esto."*' Nec sufficiunt ad restituendam quam Schweglerus quoque derogat Servio fidem quae Beckerus opposuit l. c.

Iam ad ea accedo quae recentiorum iniuria legi tributa sunt. — Atque a Ciceronis fictis legibus quin plane abstinendum sit, iam nemo dubitat: quae ne tum quidem ubi translatas esse de XII ipse Cicero affirmat — de l. III 4, 11 '*Privilegia ne inroganto: de capite civis nisi per maximum comitiatum ollosque quos censores in partibus populi locassint, ne ferunto*' cf. 19, 44 — presse reddi existimandae sunt: ut nimium ex hac legis forma concludendo effecerit Schweglerus II. R. III p. 40 sq.

Etiam regiae quae feruntur leges continuo a XII segregari debent, quamvis in quibusdam mira intercedat conspi-

ratio [1]): veluti Numae legem apud Plinium XIV 12, 88 '*Vino rogum ne respargito*' vix mihi tempero, quin eandem fuisse statuam atque qua in XII sumptuosa resporsio interdicta est (Cicero de leg. II 24, 60). Atque una sane lex de ariete subiciendo, '*si telum manu fugit magis quam iecit*' (VIII 24) cum Cicerone teste ex XII tabulis est, tum Numae adscribitur a Servio. Neque tamen hinc colligam cum Huschkio Anal. litt. p. 173 istam 'ut plerasque reliquas ex regiis in XII ad verbum translatam esse.' [2]) Namque de scriptis regum Romanorum legibus deque earundem si Dis placet collectore Sex. Papirio Tarquinii Superbi aequali actum est eis quae post alios scite disputavit Schweglerus H. R. I p. 23 sqq., cui in eo quoque totus assentior quod posteriori demum aetate ex libris pontificiis legum regiarum collectionem factam esse suspicatur. [3])

[1]) Exempla eorum quae cum ex lege cauta sint, iam Romulo aut Numae vindicantur a rerum auctoribus collegit Schweglerus H. R. III p. 17 n. 2 omisso tamen gravissimo quod supra posui. cf. T. IV 1 cum Dionys. Hal. II 15. IV 2 cum Dion. II 27. VIII 21 (de quo modo dixi) cum Dion. II 10. Plut. Rom. 13. V 1 cum Plut. Num. 10. X 6 cum Plin. XIV 12, 88. Vid. Dirksenus in libro 'Versuche z. Krit. u. Auslegung der röm. Rechtsquellen' p. 286 sq. 301 sq. 304. Tamen monendum est ex his locis omnibus in discrimen venire non posse nisi fragmenta ipsis verbis sub regum nomine allata.

[2]) Qui omnino quo liceat religione procedere, insigni documento prodidit in censura Elversii 'De clarissimis monumentis quibus iuris Romani antiquitas Caesarum tempore testata est' libri inserta Richteri Annal. iur. 1837 p. 424 sqq.: cui vel de Numae libris philosophicis inventis et crematis a. u. IϽLXXIII (Livius 40, 29. Plinius XIII 27, 13) quin ab ipso rege profecti sint, nulla dubitatio est.

[3]) Namque Mommseni sententia H. R. I p. 460 ed. 3 has leges vetusto usu sanctas non multo post XII tabulas a collegio pontificum legum interpretum non latorum sub regiarum nomine publicatas videri vereor ut habeat quo nitatur. Nec Livii de legibus regiis quibusdam post Gallicam direptionem conquisitis mentione VI 1, 10 quidquam profeceris nisi hunc auctorem et ipsum communi suae aetatis de illis legibus opinioni addictum fuisse. Atque de iuris Papiriani argumento prorsus aliter ac vulgo fit statuendum est ex fragmento de mensis ornamentisque dicatis inde servato apud Macrobium Sat. III 11, 5 sq., quod sine ulla caussa idonea Granio Flacco iuris Papiriani commentatori praeter Wesselingium Obss. var. I 4 p. 12 sq. Dirksenum l. c. p. 280 alios miror Schweglerum quoque ceteroquin recte de hac quaestione indicantem tribuere maluisse. Subvenit enim Servius in Aen. XII 836 '*quod*

Quare si quod in ea collectione praeceptum eisdem verbis perscriptum fuit quibus in XII tabulis, ex his potius ut ex fonte haustum esse videtur. Nam cum ex antiquo iure plura a decemviris recepta esse constaret[1]) fieri bene poterat, ut servata priscae originis memoria postea suis quaeque qui tradebantur auctoribus restituerentur.

Hoc autem non cadit in ea quae Dionysius II 26 de patris in filium vitae necisque potestate a Romulo sancita refert — cf. Collat. leg. IV 8 '*Cum patri lex regia dederit in filium vitae necisque potestatem*' — quae quo iure in legem editores ad unum omnes transtulerint, equidem assequi cogitando nequeo. Nam quod c. 27 est τοῦτον τὸν νόμον ἐν ἀρχαῖς μὲν οἱ βαςιλεῖς ἐφύλαττον εἴτε γεγραμμένον εἴτε ἄγραφον..... καταλυθείςης δὲ τῆς μοναρχίας... οἱ λαβόντες παρὰ τοῦ δήμου τὴν ἐξουςίαν τῆς ςυναγωγῆς

---

ait "morem ritusque sacrorum Adiiciam" ipso titulo legis Papiriae usus est quam sciebat de ritu sacrorum publicatam': ubi ius Papirianum parum accurata notione expressum, non profecto, quod Vaasseno placuit Anim. ad fast. p. 152, legem specialem a Papirio sanctam ac deinde iuri Papiriano insertam quivis facile agnoscat. Talis igitur collectio rituum sacrorum ex libris pontificiis excerpta, quo augeretur dignitas, illustri nomine ornata est Papirii primi regis sacrorum cf. Dion. Hal. V 1 πρῶτος ἱερῶν βαςιλεὺς Μάνιος Παπίριος, qui idem est III 56 Gaius Papirius Numae legum de sacris post reges exactos editor, pontifex quidem, sed tamen ἁπάντων τῶν ἱερῶν ἡγεμονίαν ἔχων (cf. II 14), nec ab hoc diversi Sextus et Publius Papirii legum regiarum in iure civili Papiriano compilatores quos novit Pomponius Dig. 1, 2, 2 § 2 et § 36, et illum quidem Superbi Demarati Corinthii filii (!) aequalem. In eam autem collectionem leges quoque quae ferebantur regias quae quidem ritum sacrorum fere omnes spectarent, receptas esse non tam dubia et discors Dionysii et Pomponii auctoritas quam Grani Flacci ex libro de iure Papiriano fragmentum persuadet in Dig. 50, 16, 144 (neglectum ab eis qui Grani reliquiis colligendis operam dederunt Dirkseno et Huschkio) '*pellicem nunc vulgo vocari . . . . quondam eam quae uxoris loco sine nuptiis in domo sit*' sine dubio referendum ad Numae legem '*pellex aram Iunonis ne tangito*' ap. Paul. ex Fest. p. 222. Gell. IV 3.

[1]) cf. Dion. Hal. X 57 οὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες ςυγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν ἑλληνικῶν νόμων καὶ τῶν παρὰ ςφίςιν ἀγράφων ἐθιςμῶν προὔθηκαν ἐν δέκα δέλτοις. cf. 55. Ulpianus Dig. 27, 10, 1 pr. Pomponius Dig. 1, 2, 2, 24 — etsi is quod de vindiciis ex vetere iure in XII translatis narrat, suam de Vindicio servo fabellam respicit — atque de sacratis legibus Cicero pro Sestio 30, 64. de dom. 17, 43.

τε καὶ ἀναγραφῆς αὐτῶν (sc. τῶν νόμων) δέκα ἄνδρες ἅμα τοῖς ἄλλοις ἀνέγραψαν νόμοις, καὶ ἔστιν ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν λεγομένων δώδεκα δέλτων ἃς ἀνέθεσαν ἐν ἀγορᾷ: id minime respicit ad universum patriae potestatis institutum, sed ad unam legem de filio ter venumdato (IV 2), de qua et in prioribus egerat Dionysius καὶ ὃ πάντων μάλιστα θαυμάσειεν ἄν τις... καὶ τοῦτο συνεχώρησε τῷ πατρὶ μέχρι τρίτης πράσεως ἀφ' υἱοῦ χρηματίσασθαι κτλ. et nunc ipsum pergit ὅτι δ' οὐχ οἱ ἄνδρες δέκα.. πρῶτον τοῦτον εἰσηγήσαντο τὸν νόμον Ῥωμαίοις, ἀλλ' ἐκ πολλοῦ κείμενον παραλαβόντες οὐκ ἐτόλμησαν ἀνελεῖν ἐκ πολλῶν μὲν καὶ ἄλλων καταλαμβάνομαι, μάλιστα δ' ἐκ τῶν Νομᾶ Πομπιλίου ... νόμων ἐν οἷς καὶ οὗτος γέγραπται '...' ὅπερ οὐκ ἂν ἔγραψεν εἰ μὴ κατὰ τοὺς προτέρους νόμους ἅπαντας ἐξῆν τῷ πατρὶ πωλεῖν τοὺς υἱούς. Itaque prior locus II 26 (ap. Dirks. IV 2) nobis omittendus fuit.

Legem in libris ad Herennium I 13, 23 inter tria XII tabularum de iure hereditario statuta insertam '*qui parentem necasse iudicatus erit, ut is obvolutus et obligatus corio deiiciatur in profluentem*' iure repudiavit Dirksenus p. 453 sqq. a Schuetzio damnatam, cum neque in Ciceronis de inventione loco congruo II 50, 148 compareat[1]) neque quidquam ad ratiocinationem tribus illis legibus effectam pertineat, et ipsa forma '*ut — deiiciatur*' — dum in ceteris servatur imperativus '*esto*' — interpolatorem prodat. Quem Kayserus vidit ex eis quae sequuntur apud Ciceronem de inv. § 149 sua hausisse. Neque vero quidquam lucramur Festi loco quem Gothofredus isti coniunxit p. 170 v. *Nuptias* .. '*quia flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarint: ob quam causam legem quoque parenstam iubere caput eius obnubere qui parentem necavisset, quod est obvolvere.*' Nam quod corrigendo demum effecit '*legem quoque "qui parentem"*', non magis habet, qui se commendet, quam Scaligeri coniectura '*l. q. "parens" ta. III*' (i. e. tabula III) aut Hertzii "*parens tam*" (in Fleckeis. Annal. phil. 1861 p. 220): quae verba quasi titulum legis ex XII desumptae intellegi volunt. Nam etiamsi probetur legum corpus eodem iure, quo carmina Homeri aut Vergilii, eis verbis a quibus ordiatur ci-

[1]) Quamquam Cosmanns quidem haec non solum legi XII reddidit, sed etiam libris de inventione reddenda esse opinatur p. 24.

tari solere — quam in partem male saepe accipiuntur Ciceronis verba de leg. II 4, 9 '*A parvis enim, Quinte, didicimus "si in ius vocat" atque alias eiusmodi leges nominare*' —: hoc minime ad singula legis praecepta transferri debet. Verum omnino ista verba a lege XII aliena sunt: quae aut fallor aut ad vetustum legis de perduellione carmen referenda sunt, quod in Horatii parricidio vindicando [1]) adhibitum esse Livius refert I 26, 6: '*Lex horrendi carminis erat: duumviri perduellionem iudicent. si a duumviris provocarit, provocatione certato. si vincent, caput obnubito, infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomerium vel extra pomerium.*' [2]) Quae Cicero in or. p. Rabir. perduell. 4, 13 ex '*annalium monumentis et regum commentariis*' [3]) (cf. 5, 15) excerpta repetit: '*quae te — delectant "i, lictor, conliga manus": 'quae non modo huius libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem aut Numae Pompilii: Tarquinii, superbissimi atque crudelissimi regis, ista sunt cruciatus carmina, quae*

[1]) de hac re cf. Schoemannus Opusc. I 38 sq. qui cetera virorum doctorum scripta congessit n. 79. Rudorffius H. i. r. II p. 365 n. 1.

[2]) De 'carmine' in motri formam redigendo cf. Ribbeckius in Fleckeiseni Ann. phil. 77 p. 208.

[3]) De 'regum commentariis' in transcursu moneo aliam nobis ex hoc ipso loco imaginem informandam esse atque Schweglerus descripsit I p. 27 sq. nudas formulas et mandatorum indices ibi propositos fuisse qui regibus adscribi solerent ex posterioribus magistratuum commentariis argumentatus. Nimirum non tantum perduellionis legem, sed totam de Horatio narrationem ex his regum commentariis proficisci satis indicant verba citata "*i, lictor, conliga manus*" — cf. Livius l. c. § 8, ubi '*i*' abesse nequit, et § 11: ut potius illis vindicanda sit, quam pontificum commentariis tribuit Niebuhrio auctore Schweglerus p. 33, antiquissimorum quatenus ad reges pertineant iuris publici sacrive praeceptorum, caussarum foederum rituum descriptio exemplis illustrata (cf. Livius I 18. 24. 26. 32. 38). Atque quod Livius I 60, 4 consules refert comitiis centuriatis a praefecto urbis ex commentariis Servi Tulli creatos esse, sagaciter ipse Schweglerus p. 28 n. 20 hanc Servii legem cum narratione de eiusdem consilio unius imperium deponendi (Liv. I 48, 9) coniunxit. Neque tamen adversabor equidem si quis statuerit regum commentarios haud secus atque leges regias partem librorum pontificiorum fuisse: quin apprime huic rei convenire videntur Ciceronis verba quibus eandem Horatii caussam significari suspicor de rep. II 31, 54 '*Provocationem autem etiam a regibus fuisse declarant pontifici libri*' e. q. s.

tu homo lenis ac popularis libentissime commemoras: "*caput obnubito, arbori infelici suspendito*" e. q. s. Is autem quod Tarquinium legis auctorem facit, quam Tullo Hostilio tribuit Livius, non difficile est ex oratoris consilio explicationem repetere: sane Livio in hac re magis confidendum. Cum igitur appareat XII tabulas apud Festum non significari, tum ne Bergkii quidem ingeniosum inventum '*legem quoque Praenestinam*' (Ephem. litter. Hal. 1842 n. 105) probatum Rubinoni (Diar. antiq. stud. 1844 p. 345 n.) defendi iam poterit: sed acquiescendum videtur in simplici Eggeri emendatione '*leg. quoque pervetustam*' (Vet. serm. lat. rell. p. 37). cf. Cicero p. Tull. § 47 '*Atque ille legem mihi de XII tabulis recitavit — et legem antiquam de legibus sacratis.*'

Iam quod Dirksenus VIII 5 posuit '*Rupitias — sarcito*' ita vulgo suppletum: '*rupitias qui faxit, sarcito*' (cf. Dacierius et O. Muellerus ad Fest. p. 264 v. rupitias. Huschkius 'Gaius' p. 206) cur abiecerim, data occasione postea indicabo. Cui alium locum coniunxit Rudorffius H. i. r. I p. 98 n. 1 in Pauli Sentent. rec. codicibus aliquot traditum I 12, 2 '*ex his qui ancillam corrupit alienam, aliam reformare cogendus est*', cum pro '*ex his*' scriberet '*ex XII*'. At eam mutationem sententiae condicione parum firmatam merito explosit Huschkius ad Paul. l., qui totum enuntiatum ut barbarum seclusit. Atque inepte sano haec inter duas de falsis sententias interpolantur.

Ciceronis verbis de leg. II 24, 60 '*Credoque quod erat factitatum, ut uni plura fierent lectique plures sternerentur, id quoque ne fieret lege sanctum est*', cum peculiare legis praeceptum contineri videatur, '*funera*' vel '*feretra*' quo sententia staret, ante '*fierent*' inserendum fuit editoribus. Sed istam rationem sat gravibus argumentis impugnavit Schoemannus Opusc. III 386 sq. Nam ut 'funora' sumamus recte addi: '*credo*' tamen cum soli secundariae sententiae conveniat '*quod factitatum erat*', et prorsus otiosum est — nam patet profecto non vetari nisi quae factitata antea sint — et praeter constantem usum ea quae sequuntur praeparat, cum soleat ad priora respicere. Gravioris ponderis est mira sententiarum perturbatio, cum inter coronas et aurum, i. e. ornamenta mortuo addita sine caussa haec de pluribus funeribus lectisque interponantur. Itaque totus in Schoemanni partes pedibus eo, qui '*credoque*' in

'credo' mutato (cum Madvigio Emend. in Ciceronis libros philos. p. 81 sq. Opusc. II 201) totum membrum transposuit post verba legis *'homini mortuo ne ossa legito quo post funus faciat':* quorum aptissimam explicationem contineant. Atque idem persuadent librorum vestigia: nam — praeterquam quod iam supplemento omni carere licet — *'id quoque'*, pro quo Schoemannus voluit *'idque'*, in Leidensibus ab altera demum manu est, cum prior in A praestantissimo exhibeat *'id quod'*, in B et H *'id quodque'*; ut hoc servato ita locus refingendus sit: *'Cetera item funebria quibus luctus augetur XII sustulerunt: "Homini" inquit, "mortuo ne ossa legito, quo post funus faciat"; credo, quod erat factitatum, ut uni plura fierent lectique plures sternerentur; id quod ne fieret, lege sanctum est. Excipit bellicam peregrinamque mortem.'* — At cum idem Schoemannus legi ne quid eripuisse videretur, novum fragmentum reddidit ex c. 25 § 62 *'Nostrae quidem legis interpretes quo capite iubentur sumptus et luctum removere a Deorum Manium iure, hoc intellegunt in primis sepulcrorum magnificentiam esse minuendam'* — quae dicit fere eisdem verbis perscripta singularibus de funere praeceptis praemissa fuisse: de eo prorsus eum fefellit opinio. In libris enim est *'intellegant'*, quod unice probari Madvigius intellexit Opusc. II 159. Nimirum 'nostra lex' non est XII tabularum, sed ipsius Ciceronis quam proposuit 9, 22 *'Deorum Manium iura sancta sunto. sos leto datos divos habento: sumptum in ollos luctusque minuunto.'*

Contra in eis quae antecedunt 23 § 59 *'extenuato igitur sumptu tribus reciniis et uincla (?) purpurae et decem tibicinibus tollit etiam lamentationem'* iniquius puto Halmium corrupta verba *'tribus — tibicinibus'* ut vetus glossema plane a Cicerone abiudicasse. Talia enim interpolari non solent, et omnino corrupta proclivius est eiicere quam emendare. In XII autem quin reapse de his cautum fuerit, dubium non est ex c. 25 § 64 *'nam de tribus reciniis et pleraque illa Solonis sunt'* etc. et Festo p. 274 sqq. *'Recinium omne vestimentum quadratum ii qui XII interpretati sunt esse dixerunt vir toga (Verrius togam qua* Lips.) *mulieres utebantur praetextam clavo purpureo.'* De decem tibicinibus cf. Ovidius Fast. VI 657. Nec sententiam legis recte cepit Halmius, cum diceret *'extenuato sumptu tribus reciniis'* ne latinum quidem esse pro *'ext. s. trium reciniorum'*: ap-

paret enim non in ipso sumptu modum et numerum observari sed in legis extenuandi consilio: ut tria recinia et decem tibicines lege concessi fuerint, non sublati. Itaque et rei et verborum nexui aptius consultum iri puto scribendo: '*Extenuato igitur sumptu, tribus reciniis relictis et uno clavo purpurae* (an *purpureo?* cf. Fest.) *et decem t.*'

Iam non miraberis, opinor, quae est et fontium penuria et hominum doctorum fuit in fragmentis undique conquirendis sedulitas, copiam imminuendam potius quam amplificandam fuisse. Quamquam non plane desunt, quae post Dirksenum aut reddere aut addere legibus collectis contigerit sive neglecta ab illo sive male intellecta sive nuper demum reperta.

Ac primum restituendum est legi praeceptum de divortio (IV 3) temere inde exclusum ab Ottone (Thes. III praef. 21) et Dirkseno p. 296 cf. 225. Neque enim quidquam suspitionis habent Ciceronis verba Philipp. II 28, 69 '*Illam suam suas res sibi habere iussit: ex XII tabulis claves ademit, exegit* (ita sine dubio recte distinxit Halmius, neque audiendus Bernerus de divortiis ap. Rom. Berol. 1842 p. 36 sq., qui adeo ex diversa interpunctione nescio quae legis de dote restituenda statuta expiscatur), quae non est cur ad institutum interpretatione legis ortum spectare dicamus. Quin etiam Gaius in libro III ad legem XII tabb. (D. 48, 6, 43) '*si ex lege repudium missum non sit*' .... etsi legem Iuliam potius significare videtur, tamen ipsa inscriptio docet in lege XII de divortio aliquid cautum fuisse. Quamquam id cuius generis fuerit, nec meum est quaerere et quaerendo difficillimum. cf. Waechterus in libro 'Ueb. Ehescheidungen bei den Römern' p. 68 n. Klenzius in Annal. iur. scient. histor. VII p. 38 not. Bernerus l. c. p. 53 sqq.

Fragmentum VIII 24 '*si telum manu fugit magis quam iecit*' pridem notum ex Ciceronis Top. 17, 64 et de or. III 39, 158 cum post Cuiacii dubitationes (Obss. 19, 10) Gothofredus et Dirksenus abiecerint (D. p. 616): nuper demum diserto orationis p. Tullio testimonio (21, 51) compertum est reapse ex lege esse. Unde iam consentaneum est concludi etiam necis consulto commissae poenam lege sanctam esse. Quo cum valet brevis apud Plinium mentio XVIII 3, 12 '*Frugem quidem aratro quae-*

sitam furtim noctu pavisse ac secuisse puberi XII tabulis capital erat suspensumque Cereri ***necari iubebant gravius quam in homicidio convictum****':* tum dubitari non patitur Salviani Massiliensis quem supra tetigimus locus de gubern. Dei VIII (non V) 5: '*Interfici enim indemnatum quemcunque hominem etiam XII tabularum decreta vetuerunt.*' Quem locum ne inspexisse quidem videntur Gothofredus et Dirksenus, cum hic ad legem de privilegiis non irrogandis (IX 1) ille ad eam, quae de capite civis nisi centuriatis comitiis rogari vetat (IX 2), revocarit. Agitur enim ibi de Carthaginiensium adversus Dei servos crudelitate, quos dicit vel occisum iri ab illis, nisi obstet legis vetitum. '*Persecutionem hoc quidem fuisse non putant, quia non et occisi sunt. Latrones quidem hoc proverbio uti solent, ut quibus non auferant vitam, dedisse se dicant. Sed in urbe illa non tam hominum fuerunt haec beneficia quam legum.*' Itaque nihil est de lege in privos homines lata, nihil de re capitali comitiis iudicata. Sed illis fraudi fuit vox '*indemnatum*' pariter atque Cuiacio Obss. 4, 12, qui inde proprium legis praeceptum statuit indemnatum interfici quemquam non licere. Scilicet haec vox non praedicati loco est nec cum '*interfici*' coniungenda, sed adiectivi vim habet ad '*hominem*' appositi, ut sit quasi 'integrum' et 'liberum.' Apprime huc quadrat Pauli exc. ex Festo p. 221 v. *parrici(di) quaestores . . .* '*Nam parricida non utique is qui parentem occidisset, dicebatur, sed qualemcunque hominem indemnatum*' — ubi voce '*indemnatum*' a plerisque perperam improbata (cf. etiam Dirksenus p. 617) ne careri quidem posse Muellerus monet. Cicero p. dom. 17, 43 '*quo iure, quo more, quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tulistis?*' in Pison. 13, 30 '*quae erat contra omnes leges indemnati civis atque integri capitis bonorumque tribunicia proscriptio*' al. Rectius igitur Pithoeus Numae lege apud Paulum in suum usum conversa eiusmodi edictum statuit '*si quis liberum hominem indemnatum morti duit, paricidas esto.*' Oppositum autem est quod de homine sacro i. e. damnato in lege tribunicia prima cautum erat: '*si quis eum qui eo plebeiscito sacer sit occiderit, parricida ne sit*' Festus p. 318.

Iam vero cum Salviani et Plinii testimoniis de homicidii poena lege constituta tertium videtur consociandum Pomponii in Dig. 1, 2, 2 § 23 '*et quia, ut diximus, de capite civis Romani iniussu populi non erat lege permissum ius dicere, propterea quae-*

stores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent, qui appellabantur quaestores parricidii: quorum etiam meminit lex XII tabularum.' Unde cum talem sententiam efficerent restitutores 'qui res capitales quaerant et vindicent quaestores parricidii sunto' vel 'Parr. quaest. qui de capite civis Romani quaerant, a populo creantor' sim., tum Dirksenus quoque Gothofredo auctore nonae tabulae ius publicum complexae fragmentum tribuit (IX 4). Verum de creandis quaestoribus legem non fuisse — qui quidem iam ante decemviros extiterint cf. Tacitus Ann. XI 22. Zonar. VII 13 — ipse Pomponius dilucide indicat verbis '*quorum etiam meminit lex XII tabularum.*'[1]) At ubi, quaeso, aptius eorum mentio inici poterat quam in parricidio vindicando? Cum hoc igitur praecepto equidem conciliare non dubitavi (VIII 25). Comparare aliquatenus licet, quod in Pauli quem attuli loco cum parricidi quaestoribus iungitur Numae lex de paricidis. Atque hanc ipsam legem '*si [qui] hominem liberum dolo sciens morti duit, paricidas esto*'[2]) si quis dixerit ex XII tabulis potius eo quo significavi modo repetitam esse, me non habebit adversantem. In qua quod Rudorffius H. i. rom. II p. 370 recentioris originis vestigium deprehendit 'doli' significationem, quid rei sit ignoro: de XII quidem id non valere Donatus testis est ad Terent. Eun. III 3, 9 '*dolo malo haec fieri omnia*] *Quod autem addidit "malo" aut* ἀρχαϊσμός *est quia sic in XII tabulis a veteribus scriptum est*' ... Sed in re prorsus incerta praestat parcere coniecturis.

Illud vero satis mire accidit, quod quae de viis muniendis apud Festum p. 371 M. servata sunt ita scripta in Ursini codice: '*Vias muniunto dionisam lapides sunt quu volet iumenta agito*' prorsus fugerunt restitutorum aciem[3]): quamquam ex lege desumpta esse dudum probavit Dacierius collato Cicero-

[1]) Apud Festum p. 258 '*Quaestores (dicebantur qui quaererent de rebus) capitalibus, unde (iidem etiam . . . . quaestores parri)cidi appellautur*' non sine specie Gothofredus in lacuna posuit '*in XII*'.

[2]) Praeclare de ea lege disputavit Rubino in censura libri Osenbrueggeniani de parricidio vet. Rom. Diar. antiq. stud. 1844 p. 338 sqq.

[3]) Unus fortasse Pithoeus excipiendus, qui ita formavit legem: 'Amsegetes viam muniunto; si via immunita escit, qua volet iumentum agito.'

nis loco or. p. Caecina 19, 54 '*si via sit immunita, iubet* (sc. lex) *qua velit agere iumentum*' (VII 7). — Eandem igitur sententiam recentiores critici ex corruptis Festi verbis alii aliter elicere conati sunt, arrepta cum Pithoeo Pauli glossa p. 21 '*Amsegetes dicuntur quorum ager viam tangit*'; cum O. Muellerus praeeunte ex parte Dacierio restituerot (p. 21. 370): '*Amsegetes vias muniunto, donicum lapides escunt* (*esunt* Dac.): *ni munierint, qua volet, iumenta agito*'; Huschkius (in Muelleri Suppl. Ann. p. 414. Annal. iur. scient. histor. XII 393 sqq.) '*Ni vias muniunt, qui viis amsegetes sunt, qua volet, iumenta agito*'; Bergkius (Annal. iur. scient. hist. XIV 144) '*Am segetes*[1]) *vias muniuntod: eo ni sani lapides sunt qua v. i. a.*' Verum his palmam si modo meruerunt eripuit, qui nuper novis subsidiis instructus hunc locum tractavit Mommsenus ('Festi cod. quaternio XVI' in Commentat. societ. Berol. a. 1864 p. 85): cui non solum haec verba rectius constituere, sed etiam ex prioribus mire laceratis bonae frugis aliquid ad legem XII repetere contigit. Est enim librorum quos in consilium ille vocavit singularis in his discrepantia, qualem descriptam subieci:

Vaticanus 2731 et Loidensis.	Victorianus e Politiani libro.	Ursinianus.
Viae sunt et puplicae et privatae puplicae per quas ire omnibus licet privatae quibus nemini et hae VIII pedes in latitudine iure et lege puplicae quantum ratio utilitatis permittit lex iubet XVI XVque pedes esse vias ut qui vias muniunt onisandi lapidas qua volet iumento (inmento V) agito.	*Viae sunt et publicae per . . . . . e omnibus licet et privatae quibus neminem uti . . . praeter eorum quorum sunt et ita privatae .. vias muniunto omsamdi lapidas .. sunt qua volet curanto ageto.*	*Viae sunt et publicae per . . . . e omnibus licet privatae quibus vetitum uti . . . praeter eorum quorum sunt privatae . . . vias muniunto dionisam lapides sunt qua volet iumenta agito.*

[1]) Ita iam Ian. a Costa in Meermanni Thes. I 705.

Ex quibus diligenter inter se comparatis Mommsenus haec effecit: '*Viae sunt et publicae per quas ire (agere) omnibus licet et privatae quibus neminem uti (ius est) praeter quorum sunt. Et ita privatae VIII pedes in latitudine (habent) iure et lege, publicae quantum ratio utilitatis permittit. (Praeterea) lex iubet XVI (in amfracto fle)xuque pedes (latas) esse vias ut (adiciat): Vias muniunto: ni sam delapidassint, qua volet iumento agito.*'

In his autem plerisque cum egregio viri acumine verum indagatum esse haud facile quisquam infitiaturus sit — quod praeter extrema verba restituta in primis valet in ista '*XVI in amfracto flexuque*' —: tum in quibusdam mihi ab illo dissentiendum est. Etenim ut hoc denique testimonio reperto plane evertitur Puchtae opinio XII tabularum de viae latitudine praecepta (VII 6) ad viam publicam pertinere (in libro 'Civilist. Abhandlungen' 1823 p. 98 cf. Inst. II § 253): ita ultima sane de quibus agimus verba non possunt nisi de publicis viis intellegi. Quod docet etiam Cato de r. r. 2 '*viam publicam muniri*' inter coloni officia referens (cf. Bergkius l. l.). Hoc autem diserte addi necesse est in eo loco qui totus versetur in discrimine viae publicae et privatae statuendo. Itaque diversa confundit Mommseni ratio: qui quem transitum instituit '*ut adiciat*', is neque ab ipso sententiae nexu neque a codicum scriptura '*ut qui*' satis commendatur. Nec magis apte in prioribus '*et ita privatae*' statim iungitur viarum definitioni: cum '*et hae*' quod Vat. et Leid. testantur iniuria neglegatur. Eidem autem libri quod in principio exhibent '*viae sunt et publicae et privatae, publicae*' ... non fuit repudiandum: nam satis Ursiniani cum illis conspiratio docet '*et*' in Victoriano (post '*licet*') coniecturae, fortasse Politiani deberi, cum a priore '*publicae*' ad alterum librarius aberraverit. Omnino in his non tam glossemata quam lacunae conspiciuntur: ut ne '*eorum*' quidem inducendum putaverim, sed vel '*auctoritate*' cum Bergkio vel — rectius opinor — '*nomine*' cum Huschkio supplendum. Denique legis ipsa verba cum praeclare M. restituerit '*ni sam*[1]) *delapidassint*': parum tamen congruit quod

[1]) Hanc pronominis formam Ennio usitatam non est quod vereamur legi tribuere: quemadmodum in Ciceronianis quoque legibus '*sisque*' pro '*iisque*' II 8, 21 servavit Leidensis H (in A rasura est) male

antecedit '*vias muniunto*'. Quocirca ipse totius loci refingendi periculum feci in hunc modum:

---

spretum ab editoribus. Omnino gaudebat antiquior latinitas magna formarum varietate in tertia persona significanda. Ipsa lex XII accusativos praebet '*em*' I 1 (libri Porphyrionis '*en*', quam particulam excitandi nemo opinor intelleget praeter Hauthalium in Diar. rei gymnas. 18 p. 518 sq.) et '*im*' VIII 13. X 9 — '*eum*' III 4 in glossemate extare mox ovineam —: de quibus cf. grammaticorum testimonia Pauli ex Festo p. 77 '*em pro eum ab eo quod est is*' cf. 76 '*emem eundem*' — sed vitiose ib. '*em tum*', quod frustra tuentur varie interpretati O. Muellerus ad l. o. et Aufrechtius in Kuhni Ann. I p. 85; p. 103 '*im ponebant pro eum a nominativo is*' cf. p. 47 v. *callim.* Macrob. Sat. I 4, 19 (ex Gellii N. A. VIII 1) '*in quibus verbis* [fr. VIII 13] *id etiam notandum, quod ab eo quod est is non eum casu accusativo, sed im dixerunt* (sc. Xviri).' Charisius p. 133 K. '*im pro eum. Nam ita Scaurus in arte grammatica disputavit antiquos im, ques hunc eundem significare consuesse*' e. q. s. Gloss. Labb. '*im* αὐτόν' et '*im eum* τὸν αὐτὸν', quod '*imem*' male corr. Muellerus ad Paul. p. 103. — Ex quibus '*em*', in qua forma explicanda atque cum '*im*' concilianda haeret Schweizerus in Kuhni Ann. II p. 356, alio exemplo non firmatur: nam Catonis ex orat. contra M. Caelium fragm. ap. Festum p. 234 (Cat. fr. p. 59 Iord.) '*si em percussi*' corruptum est; — '*im*', unde '*eum*' descendit sicut '*eunt*' a vetere '*int*' servato Gloss. Labb. '*int* πορεύονται', recte a Scaligero reductum est in plebiscitum Siliorum de ponderibus Fest. p. 246 '*sive quis im* (cod. *in*) *sacrum iudicare voluerit, liceto*'; idemque Livio Andronico Buechelerus vindicare conatus est (in Fleckeiseni Ann. 1863 p. 333) in Odyss. frgm. ap. Priscian. p. 678 P. scribens '*filia im docuit*', Plauto Bothius Mil. gl. 1424 '*an im amittis* (l. *omittis*)' et Poenul. I 2, 74; Ennio v. 396 Linkerus in Fleckeiseni Annal. 1864 p. 719 '*im super.*' Cui et in Oscorum lingua est quod respondeat '*in*' — cf. Mommsenus de Ital. inferior. dial. p. 265, qui quod in voc. '*interim*' eundem accusativum agnoscere videtur, refellitur eis quae Aufrechtius disputavit l. c. cf. Ritschelius Mus. rhen. ph. VIII p. 158 n. 488, — et in Graecorum dialectis 'ἴν' cf. Hesych. ἴν· αὐτή (?) αὐτήν αὐτόν Κύπριοι: atque 'μίν' et 'νίν' poetis usitata non esse nisi ad modum latini '*emem*' geminata 'ἰμ-ιμ', 'ἰν-ιν' facile persuadet Doederleinius in oratt. et comment. II p. 144, ut persuasit G. Curtio Etym. gr. elem. II p. 120. — Ab hoc autem pronomine tenendum est — non tenuit praeter alios Bergkius in Diar. antiq. stud. 1848 p. 1133 — ipsa stirpe seiuncta esse '*sum*', '*sam*', '*sos*' itemque '*si*', '*si-c*', '*si-remps*' similia ex prisco '*esis*' et '*esus*' sicut verbum subst. '*sum*' ex '*esum*' curtata: quo ex fonte altera quae inde patebat via manavit '*eris*' vid. Festus p. 162 '*nec erim nec eum.*' Haec enim glossa vulgo neglecta sufficit ad diiudicandam Lasseni sententiam (Mus. rh. 1833 p. 389) pronominis stirpem *es-* et *er-* in Oscorum et Umbrorum monumentis obviam a Latino sermone alienam videri. Denique ne di-

'Viae sunt et publicae et privatae: publicae, per quas ire omnibus licet, privatae, quibus neminem uti (ius est) praeter eorum quorum sunt (nomine). Et hae VIII pedes in latitudine (habent) iure et lege: publicae quantum ratio utilitatis permittit. Et ita privatae (viae) lex iubet XVI (in amfracto fle)xuque pedes esse. Vias (a)ut(em) qui(bus verbis muniri iubet, publicas dicit): Viam muniunto: ni sam delapidassint, qua volet iumenta agito.'

'Amsegetes' autem nominativo, qui ne ex usu quidem legis est, tutius carebimus: cum neque de forma neque de notione eius vocabuli satis constet: cf. diversam a Pauli explicationem in Thesauro novo Latin. od. Mai (Class. auct. VIII p. 49) *'Amsegetes segetes prope viam.'*

Eiusdem Mommseni beneficio factum est, ut aliud quoque decus diu debitum XII tabulis tandem redderetur. Etenim vix credibile est ex omnibus, quicunque in fragmentis legis colligendis elaborarunt, neminem usum esse Ciceronis verbis hisee ad Att. VI 1, 8 *'e quibus* (sc. de republicae libris) *unum* ἱστορικὸν *requiris de Cn. Flavio Anni f. Ille vero ante decemviros non fuit, quippe qui aedilis curulis fuerit — qui magistratus multis annis post decemviros institutus est. Quid ergo profecit quod protulit fastos? Occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis (patriciis* Momms.)'. Fastorum igitur anni Romani tabula in XII relata fuerat[1]): quos teste Macrobio Sat. I 13, 21 *'Tuditanus refert libro tertio magistratuum decemviros qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse; Cassius eosdem scribit auctores'* non dubitabis vel undecimae vel duodecimae tabulae assignare[2]): quamquam ipsam de intercalando legem alterutri

---

gammate quidem formas istas antiquitus caruisse ut statuamus *'suad'* innuit vetus ablativus *'sic'* explicatus a Messalla ap. Fest. p. 351 qui finitimus est osco *'svai'*, umbro *'sve'*, i. e. *si*.

[1]) Dudum ea de re monuit Onuphrius Panvinius Commentar. in fast. l. I p. 4. Ant. Augustinus al. immerito refutati a Vaasseno Animadvv. ad fast. p. 79 sqq.

[2]) cf. Mommsenus Chronol. rom. p. 30 n.: qui tamen cum has duas tabulas statuat omnia comprehendisse quae non ad fori actiones pertinerent, oblitus est quod Cicero testatur praecepta de funeribus ac sepulcris in decima tabula fuisse perscripta (de leg. II 25, 64). At ipsa fastorum promulgatio haud dubio forensi usui praecipue destinata fuit. cf. Livius IX 46, 5. Cicero p. Murena 11, 25.

tabulae insertam fuisse non est quod hinc concludat Goettlingius in reip. Rom. admin. hist. p. 315. Atque fastorum decemviralium quae fuerit ratio cum vetusto Numae anno comparatorum, aliquam certe augurandi ansam Ovidius praebet — etsi de eius fide dubitatur — Fast. II 47—54:

Sed tamen antiqui ne nescius ordinis erres —
Primus, ut est, Iani mensis et ante fuit.
Qui sequitur Ianum, veteris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus enim Iani mensis, quia ianua prima est:
Qui sacer est imis manibus, imus erat:
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tempora bis quini continuasse viri . .

quibus Merkelius in prolegg. LXXIX adhibuit Servii locum ad Verg. Ge. I 43, Varronem in Epistol. Quaest. '*inter mensem Februarium qui tunc esset extremus et inter Kalendas Martias quae tunc erant primae*' sc. intercalatum fuisse, de decemviris dicere ratus.

Verum ipsi fasti quales in lege perscripti erant, fere integri ad nostram aetatem pervenerunt. Nimirum in calendariis quae vulgo dicuntur lapideis Caesaris et Augusti aetate confectis ea quae constanter maioribus litteris exarantur, si paucissima exceperis quae ab illis imperatoribus novata esse constat — pristinum annum a Numa atque decemviris constitutum et intactum per liberae reipublicae tempora servatum repraesentare verissima ratiocinatione Mommsenus invenit Corp. Inscr. Lat. p. 361 sqq.: cui rei praeter ipsam tabularum in his aequabilitatem et par dierum festorum nundinorumque numerus et antiquitatis vestigia in scribendi genere[1]) verborumque formatione conspicua apte conveniunt. Hos igitur fastos, quibus iure monet nihil esse in universa rerum Romanarum memoria vetustate insignius, ex lapideis exemplaribus, maxime Maffeiano, descriptos et ad normam a Mommseno propositam p. 368 sqq. accommodatos — a quo discedere nefas fuerit — in undecima tabula collocavi.

---

[1]) cf. notas EN = endotercisus, Nº = nefastus: qua in nota Mommsenus p. 367 (Chronol. p. 233) vetustissimum signum N = N agnovit simile signo ΛV pro M.

Praeterea accesserunt duo Festi loci adhuc omissi: alter p. 258 *'(Quando cum gravi voce pro)nuntiatur, significat (quod: acuta est temporis adverbium)*[1]), *ut Plautus in Me(naechmis ait . . . . et Ennius l. XVI "Nox quando mediis signis praecincta volabit." In XII quidem cum c littera ultima scribitur idemque significat.'* Ubi XII non esse Enniani libri numerum recte contra Dacierium et Merulam contendit Muellerus. De *c* tamen littera vitiosa Ursino potius assentiendum est qui *e* reposuit — cui rei non magnopere obstat quod statim p. 261 '*quamde*' et '*quande*' pro '*quam*' dicuntur usi esse antiqui — quam Muellero *d* corrigenti, ut cogitetur '*quandod*' sicut 'suprad', 'prod', 'facilumed' al.: nam tum non erat ponendum '*cum d littera ultima scribitur*', verum '*d littera additur.*' — Alter locus est p. 352 quem supra constituere conatus sum p. 29: *(Transdato nota)rit Aelius in XII sig(nificare tradito).*

Denique apud eundem p. 174 *'(Noxia) ut Ser. Sulpicius Ru(fus ait damnum significat), apud poetas autem et oratores ponitur pro culpa. at noxa peccatum aut pro peccato poenam, ut Accius in Melanippo "Tete esse huic noxae obnoxium." item cum lex iubet noxae dedere, pro peccato dedi iubet'*; cum alteram glossae partem ad XII tabulas pertinere dudum intellectum sit, ne prior quidem, si quid video, caruit diserta legis significatione: '*Noxia in XII, ut Ser. Sulp. R. ait*' . . . Hoc enim et spatium vacuum postulat et oppositum '*apud poetas autem et oratores*' et prae ceteris Pauli excerptum: '*Noxia apud antiquos damnum significabat, sed a poetis ponitur pro culpa.*' Nam ita solet Paulus circumscribere legem, ut Gothofredus observat ad T. I 1. cf. p. 19 '*adorare apud antiquos significabat agere*' (VIII 16), p. 84 '*Forum . . . . quarto cum id forum antiqui appellabant quod nunc vestibulum sepulcri dic[ar]i solet*' (X 11) etc. Similiter p. 232 '*Portum frequenter maiores pro domo posuerunt*', ubi Festus '*Portum in XII pro domo positum omnes fere consentiunt*': ut non dissimile veri videatur p. 362 '*Tempestatem pro tempore frequenter dixerunt antiqui* — id. p. 110 v. *intempestam*' — ex

[1]) At plenius Paulus p. 259 '*Quando cum gravi voce pronuntiatur, significat quod, quoniam, et est coniunctio: quando acuto accentu est temporis adverbium*': ut totum versum (vel plures) apud Festum intercidisse iure O. Muellerus suspicetur.

Festi glossa ad legem I 9 '*Sol occasus suprema tempestas esto*' spectante sumptum esse. Supplemento autem quod dedimus[1]) non leve subsidium accedit Ser. Sulpicii auctoritas quae excepto uno loco p. 233 v. posticam — nam de p. 182 v. orba parum constat — non solet apud Festum apponi nisi glossis ex XII petitis. cf. p. 210. 321. 322. 376. Ex illius igitur XII interpretatione tota glossa fluxit, sine dubio ad eam legem referenda qua '*si servus furtum faxit noxiamve nocuit*' noxae dedi iubetur (XII 3). Nam VIII 5 (6), cui aeque bene vindicari putat Dirksenus, non '*noxia*' fuit, sed '*pauperies*' i. e. '*damnum quod quadrupes fecerit*' (Paulus p. 220).

Iam igitur ex hac Sulpicii explicatione certius etiam intellegitur et illo loco XII 3 ab Ulpiano tradito et Gai qui ad idem praeceptum redit D. 50, 16, 238 § 3 '*Noxiae appellatione omne delictum continetur*' correctionem '*noxam*' et '*noxae*' plane reiectaneam esse. Namque discrimen quod antiquitus fuit inter noxiam et noxam recte notatum a Sulpicio posteriore demum aetate sublatum est: ut iam apud Livium promiscue dicitur '*penes milites noxia erat*' III 42, 2 et '*neminem noxae poenitebat*' II 54, 10 '*at quam ob noxam*' VII 4, 5 cf. VIII 35, 5. IX 8, 4 '*ob noxam dedi*' XXI 30, 3 — at XXVI 29 extr. '*dedi noxae*' VIII 28 '*qui noxam meruisset.*' — Quamquam IX 10 in formula fetialis '*quandoque hice homines iniussu populi Romani Quiritium foedus ictum iri spoponderunt atque ob eam rem noxam nocuerunt: ob eam rem hosce homines vobis dedo*' '*noxiam*' si non restituendum est, certe extitisse apud Livii auctores persuasum habeo.[2])

---

[1]) Iam ab Huschkio occupatum video Iurisp. antei. p. 26: quamquam is male et post '*ait*' inseruit et arcte cum hoc verbo iunxit '*ut Ser. Sulp. R. ait in XII, damnum significat.*' Quasi vero 'in XII' dici possit de XII interpretatione.

[2]) Servius ad Aen. I 41 '*Noxam pro noxiam; et hoc interest inter noxam et noxiam, quod noxia culpa est, id est peccatum, noxa autem poena. Quidam noxa quae nocuit, noxia id quod nocitum accipiunt.*' Et hanc alteram rationem sequitur Triboniani definitio Inst. 4, 8 § 1 '*Noxa autem est corpus quod nocuit, noxia ipsum maleficium.*' Qua re fit, ut praeter '*noxae dedere*' cf. Columella de r. r. I praef. 3. Gai IV 75. Coll. leg. II 3. D. 4, 3, 9 § 4. 4, 4, 24 § 3. 9, 1, 1 § 14 sq. 9, 2, 27 § 2. 42, 1, 6 § 1. 4 § 8. Inst. 4, 8 pr. Gloss. Labb. '*noxae deditus* εἰς κόλασιν δοθείς' — sive '*in noxam d.*' D. 9, 1, 1 § 11. Inst. 4, 8 § 7 s. '*ad no-*

Praeterea cum ea, quibus novum quasi argumentum adderetur nostrae XII tabularum scientiae, proferre mihi non contigerit[1]), in testimoniorum, quibus confirmetur fragmentorum auctoritas, copia augenda quoad eius fieri posset studium posui. Quod studium quantum et taedii afferat frustra quaerenti et gaudii invenienti sciunt qui in isto studiorum genere versati sunt. Atque cum hic quoque in plerisque spem fefellerit eventus, tamen propriis viribus me in ea re elaborasse spero fore ut vel ex tenui messe quam facere licuit agnoscat, si cui placuerit apparatum a me congestum cum Dirkseniano comparare. Maximum utique fructum e glossariis percepi hucusque parum in censum vocatis: e quibus sunt quae aperte XII tabulas spectent, veluti in Labbaei gloss. '*pedem struit* φεύγει' (I 2), '*lessus* θρῆνος' (X 4), '*endoplorato* ἐπικάλεσον' (VIII 12) — ut '*endoplorato implorato*' Gloss. Mai VII 560 — alia, quibus etiam '*clans clandis* βάλανος' (VII 10. VIII 6) propter antiquum usum litterae c servatum adnumerare ausus sum: quin '*iecit misit*' in Gloss. Paris. p. 164 Hildebr. vix aliter videtur intellegi posse nisi si ad '*telum*' referatur VIII 24.

In fragmentorum ordine constituendo quam rationem tenuerunt Gothofredus et Dirksenus, cum a decemviris singula iuris argumenta vel singulis vel adeo binis tabulis comprehensa fuisse sumerent, de ea iam puto actum esse eis quae Puchta opposuit (Civil. Abhandl. p. 51 sqq. cf. Inst. I

---

xam dedere' D. 9, 1, 19 § 2 compareat etiam '*noxam dedere*' in locutione '*noxae dedendae facultas*' D. 5, 20 § 5. 9, 1, 1 § 16. 42, 1, 6 § 1. Sed hoc ex posteriore abusu non licet retro transferri in Praetoris edictum, in quo non minus, credo, fuit '*ut noxae dedere liceat*' (*noxam* D. 9, 3, 1 pr.) quam '*noxae dedi iubebo*' (ib. 5 § 6). Item Inst. 4, 17 § 1 '*noxae dedere*' ex melioribus aliquot libris reponendum est, nec in Glossariis puto defensionem habere '*noxam dedit* εἰς κόλασιν δέδωκεν, εἰς εὐθύνας. Fallitur autem de Sulpicii interpretatione locutionis Schraderus ad Inst. 4, 8 pr.: nempe '*pro peccato dedi iubet*' est '*poenam pro peccato.*'

[1]) Eam enim vim quam tribuere videtur Schweglerus H. R. III p. 28 n. 5 non habent verba ex Fragm. Vaticanis a. 1824 editis § 50 '*quia et mancipationem et in iure cessionem lex XII tabularum confirmat*': quae ad VI 1 et 5 respicere iam Dirksenus vidit Add. p. 745: cum ab I 6 '*rem ubi pagunt orato*' in iure cessionem haud probabiliter repetat Huschkius in ed., qui haec verba mire vexavit.

p. 195 sq.): qui et Gaiano commentario, quo solo nititur haec argumentatio, omnem de ea re fidem abrogavit et istud aequabilitatis artificium, quo vel in duas extremas tabulas bis quinarum tabularum supplementa illi distribuerint[1]), nimis remotum et a vetustae aetatis simplicitate et ab universa Romanorum consuetudine merito irrisu condemnavit.[2]) Namque sicut in lege Cornelia de XX quaestoribus, cuius octava tabula superstes est, et in lege Rubria de Galliae cisalp. civitate, cuius quartam habemus, ita etiam in lege antiqua tabulae non corpora efficiebant aut capita, sed erat continua tamquam paginarum series. — Ipse tamen Puchta quo exemplo probaturus est secundum ordinem legum in unaquaque tabula perscriptarum numerari a veteribus solere: de eo quam maxime dubito. Extat apud Festum p. 273 v. *reus* . . '*at Capito Ateius in eadem quidem opinione est, sed exemplo adiuvat interpretationem. Numa in secunda tabula secunda lege in qua scriptum est: quid horum fuit unum iudici arbitrove reove, eo dies diffensus esto.*' Ubi cum '*Numa*' vox dudum notata esset legis XII praecepto male apposita, tum etiam proxima verba '*in secunda tabula secunda lege*' ex nostro potius citandi more sunt quam ex Romanorum, quibus ponendum fuit '*in secundae tabulae secunda lege.*' Itaque aut putaverim '*secunda lege*' glossema esse ad '*secunda tabula*' additum, aut '*secunda*' corruptum esse ex numero *XII:* ut vel probata in ceteris Turnebi emendatione (Adv. XVII 8) sententia constituatur '*Nam in secunda tabula XII legis scriptum est*' vel si malis '*in qua*' servari, ad hunc fere modum restituatur '*at Capito Ateius in eadem quidem opinione est, sed exemplo adiuvat interpretationem sumpto ex secunda tabula XII legis, in qua scriptum est . . .*'

Non maior fides, ni fallor, alteri exemplo habenda est, quo nunc citandi mos illustrari solet. Est Gellii locus XX 1, 25 quem nuper Hertzius ex Regii et Vossiani maioris auctoritate ita dedit: '*Sed cur tibi esse visa est inhumana lex omnium mea quidem sententia humanissima: quae iumentum dari iubet aegro aut seni in ius vocato? Verba sunt haec legis "si in ius vocat[o].*"

[1]) Hoc certe commentum uno Macrobii de fastorum tabula testimonio concidit.

[2]) cf. etiam Rudorffius H. i. r. I 261. Annal. iur. historiae III p. 181.

Verba sunt haec de lege "si in ius vocat, si morbus . . . ." eo scilicet consilio, ut prior pars universe ipsam legem XII significet, quam ab his verbis incepisse probabile est, altera singulare praeceptum introducat. cf. etiam Vahlenus in Annal. gymn. Austriac. 1860 p. 5 sq. At hoc quis credat structura prorsus ineleganti atque praeter rationem effícta: '*verba sunt haec legis — verba sunt haec de lege*' expressum fuisse? Nam cum prius '*si in ius vocat*' tantummodo tituli loco habeatur, ne tolerari quidem potest repetitum '*verba sunt haec legis*': quod ab initio statim ad propria verba ex lege citata pertineat. Neque omnino ulla veri specie commendatur, cum totiens per hoc Gellii caput praecesserit legis mentio, iam tamquam novae rei eiusmodi inscriptionem proferri. Sed satis, opinor, ipsa forma prodit alterutrum membrum ex mera dittographia profectum esse. — Atqui vel resecto altero plerique Gothofredi sententiam secuti '*si in ius vocat*' arcte iunctum cum '*de lege*' principium intellexerunt vel totius legis vel certae partis. cf. Oiselius ad l. l. Verum enimvero — quod iam supra significavi — fundamentum isti opinioni substruere supersederunt. Nam Ciceronis quo provocant locus de leg. II 4, 9 minime huc facit, cum in vv. '*a parvis, Quinte, didicimus "si in ius vocat" atque alias eiusmodi leges nominare*'[1]) non citetur titulus, sed exemplum ex lege delibetur quo quae sint leges noscatur. Unde etsi non sine caussa concluditur hoc fuisse legis initium, quia prima verba simplicissime solent memoriae occurrere — cf. idem Rhet. ad Her. II 13, 19 — tamen quaevis alia lex pari modo substitui poterat. Itaque illa verba cum ipsa lege a

---

[1]) Ita quidem recte hunc locum constituit Bakius ex librorum scriptura '*atque at eius modi leges alias nom.*': cum '*at*' vestigium relictum sit veteris dittographiae '*atque alias eiusmodi leges alias.*' Nam Vahlenus l. l. etsi quod ille '*at*' nihil aliud esse nisi '*al.*' i. e. '*alias*' voluit, merito refellit, idem tamen cum '*at*' ut ex '*atque*' male repetito ortum deleat et attractionem quandam statuat, qua '*atque eiusmodi leges alias nominare*' id exprimat quod sententiae unice aptum Hoindorfius postulaverat (in Annal. inr. scient. histor. II 435) '*atque eiusmodi leges alias leges nominare*': enm sensum ex verbis ita collocatis quomodo quisquam eliciat fateor me nescire. Nec ipsum fugit, qnod exemplum attulit eiusmodi attractionis I 6, 19 prorsus aliter se habere. Huic igitur rationi quamvis Halmio probatae non dubito, quin praeferenda sit altera ad sententiam quae flagitatur bene accomodata.

Gollio citata coniungenda sunt. Neque tamen inde cum Vahleno efficiam duas XII tabularum leges ita orsas esse, quarum utram Cicero respiciat haud satis liquere: nam eiusmodi repetitionem obtrudi minime patitur succincta decemvirum brevitas. Sed Gellium potius sumo perspicuitatis caussa ex priore lege '*si in ius vocat, ito*' . . ista verba ad alteram quoque revocasse.

Iam vero cum ex paucissimis ipsorum veterum testimoniis, unde de unius alteriusve fragmenti sede certiores facti sumus [1]), de universo legum ordine umquam restituendo desperandum sit, cum tamen ad aliquam certe normam necesse sit fragmenta disponi, et tutissimum visum est et aptissimum Dirkseni ordinem retinere et subtiliter excogitatum et probabiliter observatum. Neque enim meum est novam rationem quaerere, et omnino praestat in his usui quam rationi consulere. Itaque nisi in eis quae supra monui vel prorsus abiicienda vel addenda vel cum aliis coniungenda esse, numquam ab illo discedere religioni habui, ne tum quidem, si quando ratio eum fefellisse videretur. Ita quod III 7 collocavit '*Adversus hostem aeterna auctoritas*' [2]), ex ipsius consilio sextae potius tabulae cum ceteris de usucapione praeceptis tribui debebat. Illa enim collocatio ut non defenditur nimis quaesito argumento p. 222 sq., ita ne ipso quidem quo innititur Gai loco fidem accipit. Qui cum in libro II ad legem XII tabb. (D. 50, 16, 234 pr.) '*hostis*' notionem explanaverit, id sine dubio eo loco

---

[1]) Sunt autem praeter Ciceronis locum modo memoratum de leg. II 4, 9 (cf. ad Herenn. II 13, 19) unde de initio constat, et Festi de caussis diei diffendendi in T. II notatis haec: Dionys. Hal. II 27 de filiifamilias emancipatione in T. IV recepta; Ciceronis de leg. II 25, 64 de funerum caerimoniis praescriptis in T. X, Macrobii I 13, 21 de fastis, item Ciceronis de rep. II 37, 63 et Dionys. XI 28 de conubio patrum cum plebe vetito in alterutra ultimarum tabularum exhibitis — quibus etiam statuta de aeris alieni iudicatis nimium ut ipsi videtur crudelia contineri ex Ciceronis de rep. l. c. iniuria concludit Niebuhrius H. R. II p. 374, probat Goettlinglus Hist. reip. R. p. 322; denique Ulpiani D. 38, 6, 1 pr. unde in praeceptis de bonorum possessione transitum a testatis ad intestatos factum esse comperimus.

[2]) de quo cf. Puchta 'Civil. Abh.' p. 1 sqq. Schroeterus Obss. iur. civ. p. 52 sqq. Mommsenus de auctoritate § 3. Schoemannus Opusc. III 409.

fecit, ubi prima 'hostis' in lege facta mentio est. Atqui iam II 2 praecessit '*status dies cum hoste*'. idque ipsum spectare Gaium ostendit reliquiarum eius in Digestis series, in quibus post explicationem vocis '*hostis*' sequuntur notata ad '*locuples*' (III 3) et '*vivere*' (III 4). Qua re non solum Dirkseni de illius fragmenti sede, sed tota de Gai sex libris ad legem singulis binas tabulas complexis opinio mirifice labefactatur.

Tum fragm. IV 4 de infante in decem mensibus nato legitimo non dubito cum plerisque ante Dirksenum editoribus iuri hereditario, quod quinta eius tabula continetur, vindicare. Huic enim et Ulpianus assignat '*post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam hereditatem*' et ipsa Gellii narratio, unde diiudicanda nec per se consideranda sunt verba paulo liberius posita — quae nimium pressit Dirksenus p. 224 — '*quoniam decemviri in decem mensibus gigni hominem non in undecimo scripsissent.*'

Contra legem de divortio a Dirkseno oppressam ut cum Gothofredo in VI tab. abiicerem, non me moveri passus sum Gai testimonio ex l. III ad legem allato: quae cum ad res domesticas pertineat tab. IV tractatas, ibi inserui IV 3. Eidem autem tabulae num etiam praeceptum de usurpatione per trinoctium (VI 4) rectius adscribatur, quaeri potest cum Schweglero H. R. III p. 30 n. 2. cf. tamen Dirks. p. 225. 419.

Denique legis conclamatae de sanatibus et forctis (I 5) argumento mutato sedes quoque mutanda est. Quam probabiliter nuper Huschkius (de iure nexi p. 255 cf. Iur. antei. p. 26) restituit ita: '*Nexi mancipiique cum p. R. idem forti sanatisque supra infraque ius esto*' — cf. infra ap. Festum p. 321 sq. *for(ctos sanatisque) duas gentis finitima(s fuisse censet de quibus le)gem hanc scrip(tam esse qua cautu)m, ut id ius man(cipii nexique quod populus) R. haberent.*[1]) Itaque cum iam non accipi

[1]) ita ingeniose Huschkius, cum suppleri soleat antea: '*ut id ius manifesto quod p. R. hab.*' Sed in ipsa lege '*sanatique*' idem male dativum pro genetivo posuit, quem flagitat et quod sequitur '*id est bonor(um et in fidem receptorum)*' et ipse genetivus non dat. '*forti*' cf. p. 322, l. 4 '*(neque alios quam for)ctos et sana(tes)*' et l. 8 '*(qui explicent) sanates* (*sant* cod.) *forcti (quasi dictum esset) sani insani.*' Paulus p. 102 '*Horctum et forctum pro bono dicebant.*' Sed idem p. 84 '*Forctes frugi et bonus s. validus*', ubi Muell. 'Festus nescio an "*for-*

possit de vindicibus, de quibus Dirksenus accepit p. 123 (cf. Rudorffius H. i. r. I p. 105), nimiam ille auctoritatem tribuens nominum ordini apud Gellium N. A. XVI 10, 8 '*sed enim cum proletarii et assidui et sanates et vades e. q. s. evanuerint*': aut ad sextam tabulam, quemadmodum ipse Huschkius voluit — cf. VI 1 '*cum nexum faciet mancipiumque*' — aut, quod vel magis arridet, ad nonam publici iuris tabulam cum Gothofredo erit referenda (cf. Fest. p. 321. 348).

Sed quod dixi, et in his et in similibus, quae cum incertiora sint, nunc praetereo, nihil de Dirkseni ordine mutavi: nisi quod conubii interdicti fragmentum quod unum in undecima tabula posuit Dirksenus, in duodecimam transtuli, quo illa fastis tota pateret. Ubicunque autem numerorum seriem Dirksenianam deserui, eius numerum cancellis saeptum ad meum apposui.

CAPVT QVARTVM.

DE XII TABVLARVM RELIQVIIS CONSTITVENDIS.

Iam fragmentorum quatenus fieri possit restituendorum opus aggressurus rem ita agam, ut universa omnium comparatione facta quae inde ad pristinam legis condicionem rectius cognoscendam redundent statim subiciam: id quod si prius factum esset, et multos hominum doctorum emendandi conatus statim reprimere et locis qui hucusque visi sunt integri, vitii notam adspergere debebat.

---

ctus" scripserit.' Valer. Max. personatus de praen. § 5 p. 746 Kempf. (cf. Bergkius Mus. rh. IV 121) '*Olim enim dicebatur frucmentum, nunc (non?) frumentum, et ferctur non fertur* (*frumeutum ecfertur* cod. Vat.) *et forctis non fortis*' . . . Hinc Festus liberius p. 348 '*itaque in XII cautum est ut idem iuris esset Sanatibus quod Forctibus, id est bonis et qui numquam defecerant a. p. R.*' Apparet igitur vetustiorem formam esse *forctus* s. *fortus* (*horctus*) recentiorem *forctis* et *fortis*. Genetivi autem in lege eadem est structura quae in lege Antonia de Termensibus C. I. L. 204 II 27 sq. '*idem in eisdem rebus loceis agreis aedificieis oppideis Termensium maiorum Pisidarum ious esto.*'

Atque hoc ab initio monendum est non id nos agere, ut vetustam legis formam qualis fuerit a decemviris profecta, vanis coniecturis revocemus — neque enim aliorum peccata repetere vel augere iuvat — nec ut omnia inter se exaequemus similia similiter formando; sed ut legis verba qualia grammatici illi et interpretes antiqui, quibus debemus fragmenta, legerint, constituamus haud secus atque Homerica studia id nunc maxime sectantur, ut vetus quale Alexandrinis comparuerit carminum exemplar refingant. Qua in re si quid a constanti usu ex fragmentorum conspectu observato defensionem non habebit, id mutare vel contra fontium auctoritatem non dubitabimus, ne scriptoris sive errori sive neglegentiae plus tribuamus quam rei veritati ac simplicitati. At enim continuo discernendum est, quid legi debeatur, quid scriptori: quod cum in quibusdam certo definire sane periculosum est, tum confundi iusto saepius video. Nam quis ex XII tabularum non tam verbis quam sententia a Paulo tradita (Coll. l. II 5, 5) '*qui iniuriam alteri facit, quinque et viginti sestertiorum poenam subit*' haec efficiat cum Huschkio '*qui iniuriam faxit, alteri quinque et viginti poena sunto*', non ille veriturus, ne vim intulisse Paulo insimuletur? Atque eiusmodi plura afferre possim.

Iam, ut ad rem ipsam me convertam, rudis adhuc legis antiquitas in fragmentis servata in primis inde aestimatur, quod certa personae significatio, etiamsi subiecto mutato obscurior evadat sententia, constanter omitti solet. Quae res ut ex simplici illorum temporum et sentiendi et loquendi ratione profecta est, ita coniuncta fuit cum admirabili illo ac vere Romano brevitatis studio, quo decemviri abiectis omnibus, quae usui non esse viderentur, id unum, quod rem caussamque maxime contineret, expresserunt. Res est nota neque digna, quae exemplis singillatim explanetur: quae quidem et late pateat per haec fragmenta et aliis veterum legum testimoniis [1]) conspicua ac ne a Catonis quidem scribendi genere aliena sit.[2]) Ab hoc autem usu quae recedunt, eis

[1]) cf. lex de perduellione Livius I 26, 6. Leges regiae ap. Plinium XIV 12, 88. Festum p. 178 v. occisum.

[2]) cf. de r. r. 5. '*Vilicus si nolet male facere, non faciet*' (sc. familia) al.

excusatio sponte comparata est velut in oppositis: '*si pater filium ter venum duit, filius a patre liber esto*' (IV 2), pariterque '*mulieres genas ne radunto*' (X 4), '*si coronam parit ipse pecuniave eius*' (X 7), '*si servus furtum faxit* (XII 3), '*ni iudicatum facit aut quis endo eo in iure vindicit*' (III 3), '*cui testimonium defuerit, is tertiis diebus ob portum obvagulatum ito*' (II 3). Contra excusationem non haberet quod placuit Goettlingio (Hist. reip. Rom. admin. p. 323) in verbis '*tertiis nundinis partis secanto*' (III 6) 'partes' nominativum casum esse intellegendosque creditores: cum recte explicetur 'in partes secanto', nimirum bona debitoris, non corpus.[1]) Nec magis Kayserus audiendus, qui pro '*rem ubi pacunt*' I 6 cum Rutgersio '*rei ubi p.*' malit corrigi (ad Cornif. p. 251).

Neque tamen vestigia desunt extitisse aliquando qui istam in pangendis verbis asperitatem lenire aliqua ex parte temptarent. Namque post initium tale '*si in ius vocat, ito. ni it, antestamino: igitur em capito. si calvitur pedemve struit, manum endo iacito*', parum probabile est in lege sequi potuisse '*si morbus aevitasve vitium escit, qui in ius vocabit, iumentum dato*' nec magis deinde (III 3 sq.) '*ni iudicatum facit .... secum ducito. vincito aut nervo aut compedibus .... si volet suo vivito. ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris endo dies dato*' (Gell. XX 1, 25. 45) — ubi '*eum*' quoque forma novicia suspitionem movet —: verum tales explicationes postea adiectae sunt quibus perspicuitati consuleretur. Non aliud fuit consilium auctoris ad Herenn. I 13, 23 (V 3, 4) '*Paterfamilias uti legaverit*' et '*si paterfamilias intestato moritur*' de lege referentis (id. Cicero de inv. II 50, 148): qua de re nunc satis constat post doctam Erbii disputationem (in Hugonis Promptuar. iur. civ. IV p. 462 sqq.). Atque simile quid commissum est in praecepto lacunose apud Festum citato p. 376 (XII 4) '*si vindiciam falsam tulit sive litis .... tor arbitros tris dato, eorum arbitrio .. fructus duptione damnum decidito*', ubi etsi iure suppleri videtur '*praetor*', idem tamen pariter ab ipsa lege alienum fuit atque quod in altera lacuna — cuius tamen notandum est nullum vestigium esse in Vaticano 1549 et in Augu-

[1]) cf. Goettlingius l. l. p. 324. Huschkius De iure nexi p. 90. Schweglerus H. R. III p. 38 sq. n.

stini edit. — Marcilius posuit '*reus*' probatum Kellero Proc. civ. p. 29 n. 108 aut O. Muellerus '*possessor*' — ne quid dicam de Wetzellii supplemento '*si velit is qui vicit.*'

Nec vero Gellius repperit in XII tabulis quod inde citat XX 10, 8 '*si qui in iure manum conserunt*' (VI 5) sed '*si in i. m. c.*' cf. T. VII 5 *si iurgant* al. Nam pro '*si quis*' quod in posterioris aetatis legibus et edictis maxime frequentatur, XII aut '*si*' simpliciter aut '*qui*' exhibent. Quae res aliquantum valet ad iudicium de loco similiter comparato stabiliendum. Vereor enim ut cuiquam placeant haec e Gellii testimonio (XVI 10, 5) ita vulgo constituta '*adsiduo vindex adsiduus esto: proletario cui quis volet, vindex esto*' (I 4). Quae adeo deteriorum librorum memoria est: cum optimorum Regii et Vossiani maioris scriptura immerito diu neglecta '*proletario iam civi cui quis volet v. e.*' ne carere quidem possimus propter illud quod sequitur '*quid sit in ea lege "proletarius civis" interpretere*' pessime ab editoribus ante Hertzium mutatum '*si vis, interpr.*' cf. Nonius p. 155 '*Proletarii cives dicebantur qui in plebe tenuissima* (leg. *tenuissimi*) *erant*' e. q. s. descripta de Gellii loco V 10. At contortum enuntiatum '*cui quis volet*' si probaretur, vitiose '*quis*' efferretur: probari autem per id ipsum non licet, quoniam in eo qui vindex esse debeat, non cui debeat — id enim abundat post '*proletario*' — iam summa vis posita est. Probabilius igitur O. Muellerus in Mus. rh. iur. V p. 192 Rittershusium ex parte secutus substituit '*Proletario iam quiqui civis*': modo ne huic quoque obstaret quod deinde iungitur '*proletarius civis.*' Verum simplicior emendatio in promptu est. Nimirum '*cui*' sive mavis post '*civi*' male esse repetitum sive, ut '*quis*' habeat, quo referatur, additum, delendum est: ut relinquatur: '*proletario iam civi quis volet vindex esto.*' Namque quod in serioris aetatis legibus frequenter usu venit '*qui volet*' — cf. Tab. Bant. v. 9 '*eam pequniam quei volet magistratus exsigito*'; Lex Iul. mun. v. 19. 93. 107. 125. 140 '*eiusque pecuniae quei volet petitio esto*', Lex Mamilia '*pecuniaeque qui volet petitio hac lege esto*' sim. in Aere Salpens. et Malacit. al. — id prisco more '*quis volet*' dicebatur: ut est in Siliorum de ponderibus plebeiscito ap. Festum p. 246 '*eum quis volet magistratus multare ... liceto.*'

Omnino non satis adhuc observatus est antiquus usus

pronominis '*quis*' pro '*qui*'; quem ad foederis Latini verba apud Festum p. 166 '*Pecuniam quis nancitor, habeto*' breviter notavit Scaliger '*quis* pro *qui* ἀρχαϊκῶς': ubi perperam '*qui*' corr. Augustinus. Eodem pertinet in ipsa lege XII '*quid horum fuit unum iudici arbitrove reove, eo dies diffensus esto*' (II 2) ap. Festum p. 273: quo loco Turnebum secuti '*si quid*' Scaliger et O. Muellerus dederunt. Neque in lege oleae faciundae apud Catonem r. r. c. 145 '*homines eos dato qui placebunt aut (domino aut) custodi aut quis eam oleam emerit*' merito vel '*qui eam*' correxerunt priores editores vel '*qui sam*' nuper Usenerus Mus. rh. XIX p. 144: et recte apud eundem Catonem c. 148 '*si ante non deportaverit, dominus vino quid volet faciet*' inde a Victorio servant editores. Idem autem usus in Oscis monumentis comparet Tab. Bant. v. 19 '*pis cevs Bantins fust*' i. e. 'qui civis Bantinus sit' et Cipp. Abell. '*inim pid esei thesaurei*' i. e. 'et quidquid s. quod in eo thesauro est' cf. Mommsenus De Ital. inferioris dial. p. 290.

Tenendum est autem tertiam semper in praeceptis personam intellegi, numquam alteram: ut iam inde suspitionis notam ducat quod iniuria legi a Servio imputari vidimus '*neve alienam segetem pellexeris*' (VIII 7). Atque hoc semel saepius neglexerunt qui in lege versati sunt: ut X 5 '*Homini mortuo ne ossa legito quo post funus faciat*' fuerunt qui '*facias*' corrigerent — ubi Dirkseni mira est haesitatio p. 673 — aut VI 7 Gothofredus dedit '*Tignum iunctum aedibus vineaeve ne concape et ne solvito*' aut ex Festi glossa p. 264 '*rupitias XII significat damnum dederit*' Contius aliique effecerunt '*quod rupitias sarcito*' — '*dederis*' apud Fest. mutato; neglexit etiam qui nuper ex Porphyrionis verbis corruptis haec monstra effecit '*si in ius vocasti, ni it, antestamin igitur; en (= age) capito*' Hauthalius in Annal. rei gymnas. 18, 518 sq. Ed. Scholiast. Hor. II 1 p. 165[1]), non felicior ille Rittero qui talia commentus est: '*si vis vocationi testem, eum tangito endo capite.*'

[1]) Cui quod '*antestamino*' vel quod invenit '*antestamin*' altera tantum persona statui posse videatur, inspiciendus fuit Madvigius Opusc. II p. 240. Tertiam habes '*fruimino*' Tab. Genuat. 32. '*profitemino*' Lex Iulia mun. 3. 5. 9. 11. '*denuntiamino*' Lex de aquis ap. Marinium Act. fr. Arval. I p. 70, 16. '*consules appellamino*' (?) Cicero de leg. III 3, 8, ubi '*appellaminoe*' Bergkius Phil. 14, 186.

At sicubi pro singulari personae substituitur pluralis, propria est sive duorum sive plurium caussa: I 6 *'rem ubi pacunt, orato — ante meridiem caussam coiciunto'* . . . VI 5 *'si in iure manum conserunt.'* VII 5 *'si iurgant.'* III 6 *'partis secanto: si plus minusve secuerunt, se fraude esto.'* V 5 *'gentiles familiam habento.'* X 4 *'mulieres genas ne radunto'* . . .

Iam vero quae in oppressa personae agentis significatione conspicitur concisa brevitas, eadem est in ea persona quae sententiae quasi obiectum intellegitur exprimenda. Neque enim aliter exprimi solet nisi simplici pronomine 'is' — nam ea nunc nihil moror quae diserte opposita sunt I 4. II 2. VIII 3. 21 —: idque ipsum tum demum admittitur, si in prioribus habet quo pertineat. cf. I 1 *'ni it, antestamino. igitur em capito.'* III 3 *'ni iudicatum facit aut quis endo eo in iure vindicit,'* V 7 *'si furiosus escit, ast ei custos nec escit, adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.'* VIII 2 *'si membrum rupit, ni cum eo pacit'* . . VIII 11. X 9. Verum ab utraque parte non vacat suspitione VIII 4 *'si iniuriam alteri faxsit, viginti quinque poenae sunto'*: iniuria enim semper fit alteri, et aeque bene expectaveris *'si membrum alteri rupit'* et *'si in ius alterum vocat'* etc.: quemadmodum sane Gellius circumscribit XX 1, 34 *'qui membrum alteri rupisset'* cf. 16 *'qui sin membrum, inquit, alteri imprudens ruperit?'* Nam quod Huschkius 'Gaius' p. 117 distingui voluit: *'si iniuriam faxit, alteri vigintiq. p. sunto'* non nititur nisi prava editorum Gellii mutatione *'faxit alteri'* et librorum memoria et Pauli testimonio in Collat. II 5, 5 *'qui iniuriam alteri facit'* — quamquam ille ne ab hoc quidem manum abstinuit — pariter damnata. Atqui hac mutatione neque sustulit quam dicit obscuritatem, sed intulit, neque removit veram offensionem, sed ad primarium enuntiatum a secundario transmovit. Tutius igitur statueris *'alteri'* ex posteriore dicendi more, cuius primum, ni fallor, exemplum in lege Aquilia extat *'si quis alteri damnum faxit'* (Dig. 9, 2, 27 § 5), aliquando in legem illatum fuisse. — Non minus autem in legis VIII 1 argumento ex Cicerone apud Augustinum de C. D. II 9 servato *'si quis occentavisset sive carmen condidisset quod infamiam faceret flagitiumve alteri'*, cum capite puniri, *'alteri'* persuasum est Ciceroni, non legi tribuendum esse.

At cum ad personas fere constanter et condiciones et iussa dirigantur, tum est etiam ubi ad res revocentur. Quod explicatione non eget in hisce: '*sol occasus supr. tempestas esto*' I 9, '*eo dies diffensus esto*' II 2, '*triginta dies iusti sunto*' III 1; vel: '*si aqua pluvia nocet*' VII 8, '*si morbus aevitasve vitium escit*' I 3 cf. II 2: interior ratio est aliorum, ut: '*adversus hostem aeterna auctoritas (esto)*' III 7, '*post deinde manus iniectio esto*' III 2, '*si membrum rupit — talio esto*' VIII 2, '*viginti quinque poenae sunto*' VIII 4. Quorum quatenus ad iniurias spectant rationem reddidit Huschkius 'Gaius' p. 126 bene potestatis potius quam officii notionem inesse interpretatus. Ac memorabilis est in ultimo quod posui exemplo pluralis 'poenae' antiquam vocis significationem servans, cuius vestigia delevit interpolata Gellii scriptura '*XXV asses* (*aeris* libri) *poenae sunto*' (XXI 12 cf. XVI 10, 8). Quamquam paulo liberius Festus p. 371 '*Vigintiquinque poenae in XII significat vigintiquinque asses*', ubi vitium in Ursini codice commissum '*poenas*' neque O. Muellerus debebat vetustam genetivi formam agnoscere neque Huschkius l. l. 117 mutare '*poena* $\overline{s}$' i. e. '*poena sunto*', ita quidem, ut singularem nihilo minus statuat ex vetusto plurali demum effictum esse.[1]) Atque usus antiquus Graeco v. ποιναί congruus apte illustratur glossis Pauli ex Festo excerptis p. 208 '*Pendere poenas solvere significat ab eo quod aere gravi cum uterentur Romani, penso eo, non numerato debitum solvebant*' et p. 243 *Poenas pendere* id. Ipsi autem locutioni '*XXV poenae sunto*' prorsus respondet ex consuetudine posteriorum legum quae in SC. de aquaeductibus est apud Frontinum c. 127 '*si quis adversus ea commiserit, in singulas res HS X milia essent*' pariterque — etsi ab hac diversa — qua M. Cato utitur in oratione pro Rhodiensibus apud Gellium VI (VII) 3, 37 '*Quid nunc? ecqua tandem lex est tam acerba quae dicat "si quis illud facere voluerit, mille minus dimidium familiae* m u l t a e s t o; *si quis plus quingenta iugera habere voluerit,* t a n t a p o e n a e s t o; *si quis maiorem pecuum numerum habere voluerit,* t a n t u m d a m n a s

[1]) Memorandam idem proposuit p. 123 'poenae' a πῶυ derivationem: de vera nunc consulendi Pottius Quaest. etym. I 217. Curtius Etym. gr. elem. I 246. Corssenus in Symbol. crit. ad doctr. form. lat. p. 77 sqq.

esto.'[1]) Omnino in legibus insequentis temporis ille quem notavi dicendi usus latius patet cf. ex lege Iulia '*eiusque pecuniae quei volet petitio esto*', Lex agraria l. 101 '*ab ipsis heredibusque eorum persequtio esto*' al.

Denique summa vis oppositionis ac fere poetica rei descriptio apparet in verbis VIII 24 '*si telum manu fugit magis quam iecit*': de quibus iure Cicero de or. III 39, 158 '*Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit quam est uno significata translato.*' Sed ab hoc non minus quam ab illis mirumquantum distat quod a Macrobio I 4, 19 citatur '*si nox furtum factum sit, si im occisit, iure caesus esto.*' Namque in hac re ut qua maxime voluntas hominis premenda erat: neque caussa cur defendatur, nedum cur praeferatur incerta rei factae notatio, ulla in promptu est. Augetur autem inde offensio, quod neque accusativus '*im*' est quo referatur, neque coniunctivus '*sit*' tolerari in lege ullo modo potest: id quod infra spero me planius esse comprobaturum. Hinc igitur quod iam Cuiacii acumen vidit (Obss. 11, 27) persuasitque pluribus legis interpretibus '*si nox furtum faxit*' unice probatur: quemadmodum XII 3 est '*si servus furtum faxit.*' Eodem ducere videtur Gellii testimonium XI 18, 7 '*Nam furem qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permiserunt, si aut, cum faceret furtum, nox esset, aut interdiu telo se, cum prenderetur, defenderet.*' cf. Gaius Inst. III 189. Ac mihi quidem veri simile videtur a Gellio, cuius ex libro VIII nunc deperdito hunc totum locum Macrobius exscripsit (cf. VIII 1 inscr.) eodem modo ut XX 1, 12 '*faxsit*' scriptum fuisse: ex hac autem scriptura errore sive Macrobii sive librarii '*factum sit*' ortum esse.

Ad aliud accedo. Perpetuus est et sine exceptione per legis praecepta sibi constans imperativi usus, vel in eis quae permittentis magis quam imperantis sunt cf. I 3 '*si nolet, arceram ne sternito*', III 4 '*si volet, plus dato*' al. Quare in Ciceronis or. p. Tullio § 50 '*Furem, hoc est praedonem et latronem, luce occidi vetant XII tabulae: cum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, nisi "se telo defendit" inquit, etiamsi cum telo venerit, nisi utetur telo eo ac repugnabit, non occides*' notanda est eorum editorum incuria, qui '*non occides*' legis verba intel-

[1]) cf. Huschkius l. l. p. 126.

lexerunt Beicrus Orellius Huschkius, ne in ceteris quidem satis quid XII proprium sit, quid Ciceroni, discernentes. Eos autem qui V 7 '*ast ei custos nec escit*' futurum putant imperativo substitutum esse, prorsus fefellisse opinionem infra apparebit. At pariter repudiat lex coniunctivum qualem obtrusit Victorio auctore Gothofredus I 1 '*si in ius vocat*, *atque* (i. e. *statim*) *eat*', satis refutatus cum ab aliis tum ab Unterholznero in Annal. scient. iur. histor. II 438; aut qui V 5 ad corruptam codicum Collationis memoriam '*gentiles familiam heres hanc*' (pro '*habento.*' *Nunc*) ex notarum similitudine explicandam[1]) proxime accedere sibi visi sunt corrigendo vel '*habeant*' vel '*herciscant*' Pithoeus et Oiselius, vel adeo ficto vocabulo '*herescant*' Huschkius (in Stud. iur. R. p. 156. Mus. rhen. iur. VI p. 280): qui bene fecit quod in editione Coll. sententiam retractavit.

At unum dices refragari nobis locum a Plinio sic traditum XXI 5, 7: '*Namque ad certamina in circum per ludos et ipsi descendebant et servos suos equosque mittebant. Inde illa XII tabularum lex "qui coronam parit ipse pecuniave eius virtutisve ergo duitur ei." Quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos? Ut ipsi mortuo parentibusque eius, dum intus positus esset forisve ferretur, sine fraude esset imposita.*'

De quo loco ante quam iudicium fiat, ipsa verba rectius quam adhuc factum est constituenda sunt. Atque '*virtutisve*' cum neque cum '*pecuniave*' coniungi liceat nec ad '*eius*' (sc. pecuniae) praeter Ianium quisquam referat nec vero rationi conveniat cum prioribus editoribus ac XII interpretibus plerisque '*ve*' quasi fortuito ortum abiicere, ex Toletani codicis scriptura vel potius coniectura '*virtuti suae*' Pintianus Gronovius Silligius reposuerunt '*virtutis suae ergo.*' Verum pronomen '*suae*' mirifice abundans pariter a XII tabularum brevitate atque a formulae '*virtutis ergo*' usu abhorret. cf. Sisenna ap. Nonium p. 544 '*virtutis ergo civitate donati*', Cicero de opt. gen. or. 7, 19 '*eum donari virtutis ergo benevolentiaeque*', Livius 25, 7, 4 '*neu dono militari virtutis ergo donaretur.*' Itaque eo inclino, ut alterum genetivum excidisse ante virtutisve suspicer, eumque

---

[1]) cf. Schillingius Diss. crit. de Ulpiani fragmentis p. 83 sqq.

fuisse '*honoris*' fidem facit Paulus exc. ex Fest. p. 82 v. *ergo* ..... '*cum dicimus de aliquo "statua donatus est honoris virtutisque ergo", i. e. h. v. causa*'; cf. '*honoris ergo*' Liv. I 8, 6. Optime sane ad 'pecuniam' honoris, ad 'ipsum' virtutis notio respicit. At ne eodem facere dicas quod sequitur '*quis ergo honos?*' loci ratio vetat. Namque id ipsum '*hon. virt. ergo*' non aptum est ex verbo unde voluerunt editores '*duitur ei*', verum ex '*parit*': hoc enim luculenter probat Ciceronis testimonium de leg. II 24, 60 '*Illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere quod coronam virtute partam et ei qui peperisset et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet*': quo vel uno distinctio loci Pliniani a Ianio proposita reiicitur. — Porro pro '*duitur*' — ita Vossianus m. pr. et Paris. d m. 2 — sive '*duuitur*', ut Toletanus, ex quo corruptum est '*diuiditur*' in Chiffletiano et Paris. m. pr. — '*arguitur*' cum aliis optimus Riccardianus et Vossiani manus altera — quam priore non multo esse recentiorem iudicavit du Rievius apud Detlefsenum Mus. rhen. XV 275 — testantur; id quod certo vestigio ducit ad antiquam formam haud spernendam '*arduitur*.' Frequenter enim antiquum sermonem 'ar' usurpasse pro 'ad' notum est: cf. Priscian. p. 559 P. I p. 35 H. '*arvenas*', '*arfines*' etc. et exempla apud Schneiderum Gramm. I p. 257 et Corssenum de Enunt. l. l. I p. 89 sq. pleraque collecta, quibus addenda '*arvocitare saepe advocare*' ex Thomae Thes. nov. latinit. Mai Class. auct. VIII p. 56, '*arvolare pro advolare*' ib. 60, '*arveniet adveniet*' ex Placidi gloss. III 435 M. '*arvenire pro adv.*' Diomedes p. 447. Quod cum ante b, f, v litteras solas locum habere Osannus ad Pompon. de orig. iur. p. 68 not. contenderet, oblitus est eorum quae iam Priscianus notavit '*arger*', '*arcesso*', '*arcio*', quod extremum novis testimoniis probatur '*arcitio vocatio*' et '*arciti vocati*' ex Gloss. vet. Mai. VI p. 509. Porro dignissimum notatu exemplum Thomae Thes. subministrat p. 57 '*ardesus, sterilis, exilis, obesus, exesus*': ubi vocalis vi videtur effectum esse, ut anceps sonus atque inter r et d fluctuans utraque littera exprimeretur. Haec autem vox sufficit ad refellendum quod contra Schneiderum Pottius contendit in Kuhnii Ann. ling. comp. I 326 n. 'ar' et 'ad' non soni aut formae, sed ipsa stirpis diversitate seiungi: id quod nec sanscritarum vocum 'ârât' et 'adhi' neque celticarum 'Armorica' al.

comparatione probare contigit. Idem vero suo iure huc revocavit '*armessarius*' pro 'admissarius' ex lege Salica p. 96 Lasp. ('armësariu' apud Valachos): quao vox fidem faeit in sermone vulgari antiquum usum ut solet vel diutius obtinuisse vel denuo revixisse. Pariter 'arger', qua forma antiquissimos usos esse uno Prisciani testimonio docemur, in populari medii aevi latinitate resuscitatur; cf. Chron. Estense ed. a. 1288 (Muratori Script. It. XV 339) '*Padus — fregit argeres*' et voeabula 'arginalis', 'arginerius' in du Cangii Gloss. s. v.; ae transiit in Italorum usum 'argine', 'arginale.' Nec de '*arseda*', quae '*sella quadriiugis*' explicatur ap. Thom. p. 50, '*stella valde splendens*' miro errore ap. Ugutionem (cf. du Cangius s. v.) — aliunde quod seiam non innotuit — secus statuendum videtur.[1] Itaque ne 'ardo' quidem probabilitate caret.

At qui plerisque omnibus eritieis atque editoribus placuit imperativus '*duitor*' — ut primus scripsit Gronovius — sive '*arduitor*' — ut cum Gifanio Lipsius Epist. Qu. 4, 27. Leges decemvir. § 19 — ('*diditor*' Ursinus, '*dividitor*' γ. '*inditor*' Turnebus Adv. XVIII 29. XXIX 1): is nullam omnino a codicum memoria aut fidem aut commendationem habet, — nam quod Dalecampius ex vetere libro notat '*dividitor*', merae docti cuiusdam viri coniecturae debetur (cf. de isto vet. Daleeampii Silligius in praef. p. XXIX). Neque istam imperativi formam lex novisse videtur: in qua fuit I 3 '*iumentum dato*', III 4 '*libras farris endo dies dato. si volet plus dato*', XII 4 '*arbitros tris dato*', X 9 '*neve aurum addito.*'

Atqui non minus me iudice fallitur qui '*duitur*' aut '*arduitur*' coniunctivum interpretaturus est: 'detur, ardetur.'

---

[1]) Cousulto segregavi glossam VI p. 509 M. '*Arseria vas vinarium quo vinum ad aras ferebant*' — et hinc, opinor, in Glossario latino-italico (ap. du Cangium s. v.) '*arseria uno vaso de vino*': nam ut liceat in hoc vocabulo '*seriam*' agnoscere — de qua cf. Cato r. r. 12. Varro r. r. 3, 2, 8. Plaut. Capt. 4, 4, 9 al., tamen quin mendose exhibeatur pro '*arferia*', dubium vix erit collata Pauli glossa Exc. p. 11 M. '*arferia aqua quae inferis libabatur* (id. ap. Thom. p. 56) *dicta a ferendo, sive vas vini, quod sacris adhibebatur*', id. Gloss. Labb. '*adferial* ὕδωρ τὸ ἐπὶ τοῖϲ νεκροῖϲ ϲπενδόμενον'; cf. Thom. p. 292 '*inferia sacrificium infernalibus factum.*' Nec magis iuvat repetere Pottii de 'arista' ab 'ar' et 'stando' oriunda commentum omni fundamento destitutum (l. c. p. 398).

Etenim immerito adhuc neglegitur veterum de formis quae sunt 'duis', 'duit', 'adduit' similibusque doctrina quamvis brevi nec levi Godofredi Hermanni assensu approbata (de Io. Nic. Madvigii interpretatione quarundam verbi latini formarum Lips. 1844 p. 18): quae ex glossis hisce conspicua est: Paulus Exc. ex Festo p. 66 *Duis duas habet significationes. Nam et pro* δίς *ponebatur et pro dederis.'* p. 27 '*addues addideris.*' Festus p. 229 '*produit porro dederit . . . alias prodiderit.*' p. 277 '*reconduit refecerit* (ex palmari Scaligeri emendatione: cod. *reconduetae fecerit*) *ut condere urbem facere, aedificare.*' Gloss. Labb. '*adduo* προστιθῶ.' Videmus igitur 'duim' et 'duo' perfecti coniunctivum et futurum exactum constanter intellegi a grammaticis: quod uo pro arbitrio ab illis fictum statuam cum Struvio de declin. et coniug. lat. p. 246 cl. 203, ipse scriptorum usus facit. Nam in precatione suovotaurilium secundum Catonem de r. r. 141 fuit '*utique tu fruges, frumenta, vineta virgultaque grandire beneque evenire sivis, pastores pecuaque salva servassis duisque bonam salutem valetudinemque mihi domo familiaeque nostrae.*' In Siliorum plebeiscito ap. Festum p. 246 '*si quis magistratus adversus hac d. m. pondera modiosque vasaque publica modica minora maioraque faxit iussitve fieri dolumve adduit, quo ea fiant.*' Plaut. Amph. prol. 67 sqq. '*Si quoi fautores delegatos viderint . . . Nam si qui palmam ambissit histrionibus — Si quoiquam artifici seu per scriptas litteras Seu qui ipse ambissit seu per internuntium Sive adeo aediles perfidiose quoi duint: Sirempse legem iussit esse Iuppiter, Quasi magistratum sibi alterive ambiverit.*' His enim locis formae vicinae dubitationem non admittunt. Eadem res est in lege quae Numae dicitur apud Festum p. 221 '*Si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, paricidas esto*' — quibus in legibus non magis est quam in XII ullus coniunctivi usus — et in Appii voto ap. Livium X 19, 17 '*Bellona, si hodie nobis victoriam duis, ast ego templum tibi voveo.*'

Atque hinc demum iudicium recte fieri potest de fragmento legis IV 2 in Ulpiani (fr. X 1) codice Vaticano sic scripto '*si pater filium ter venumdauit, filius a patre liber esto.*' Quod cum a plerisque '*venumduit*' mutaretur — id quod Gaiano loco I 132 confirmari ratus Dirksenus p. 280 mire et rei veritati et sibi ipse adversatur, cf. p. 281 n. 347ᵇ —, nuper Lach-

mannus in Annal. iur. scient. histor. IX 138 Turnebi emendationem '*venumdabit*' praeferendam monuit persuasitque Boeckingio. At suo iure Huschkius futurum primum non esse huius loci ratus '*venumduuit*' non minus a litterarum ductibus commendatum Cuiacio praeeunte restituit: quam futuri II formam iam non est cur repudiemus.[1]) Notanda est autem scriptura '*duuit*', qua satis refellitur God. Hermanni opinio l. l. 'dui' perfectum verbi quod est 'do' interpretantis. Quamquam pariter Cuiacius erravit cum '*duvit*' exararet: quam rationem etiamnum sunt qui teneant parum illi reputantes ea, quae acute contra monuit G. Curtius de temp. et mod. p. 217 cl. 261. — Namque quemadmodum a 'fu', aucta vocalis vi perfectum 'fŭi' descendit (cf. Ennius Ann. 440 V. Plaut. Capt. II 2, 12. III 4, 100 al. Ritschelius Proleg. p. 171), a 'plŭo' 'plūi', a 'lŭo' 'lūi' (Varro de l. l. IX 104), ab 'erŭo' 'erūi', 'argŭo' 'argūi', 'annŭo' 'annūi' (Priscianus p. 882 P. I p. 504 H.)[2]) — in quibus verbis omnibus posterior demum aetas vocalem corripuit — : ita a 'dŭo' — quam stirpem praeter 'da-o', 'do' extitisse vel potius ex hac declinatam quadam depravatione fuisse et coniunctivi praesentis[3]) formae 'perduam' 'creduam' apud Plautum et Umbricae linguae comparatio (umbr. 'tuv-' ('dov-') praeter 'deṛ' 'teṛ' ex radice 'da') et glossariorum voces indicant '*duere dare, vincere* (?)' Gl. Papiae (cf. Mai VII

[1]) Aliter quidem statuendum est de codicis Vercellensis in Coll. leg. Mos. et Rom. XI 1, 1 scriptura '*venumdaverit*' pro '*vendiderit*' ('*vinded.*' Berol.) quae quomodo nata sit, nescire se fassus est Lachmannus in Annal. iur. scient. histor. IX 198. Sed ex rusticae linguae consuetudine, qualis fuit in illa regione, explicandam esse nunc compertum habemus ex codicis ipsius quoque Vercellensis Edict. regum Langobardorum testimonio P. 195 ed. Bandi a Vesme. (Aug. Taur. 1855) '*posteus* (i. e. postquam) *genitor eius res suas venundavit.*'

[2]) cf. Corssenus de Ennnt. II 159. Symb. crit. p. 231, qui haec verba ad antiquum scribendi genus 'ou' revocans immerito abutitur Macr. Sat. I 4 auctoritate: quo loco formae '*foverint*' in codicibus nec vola nec vestigium est. An Bergkio fas est credere '*fūi*' a reduplicato '*fufui*' repetenti (Diurn. act. antiq. scient. a. 1856 p. 134)?

[3]) cf. Paulus exc. ex Festo p. 60 '*creduas credas.*' Rem confundit O. Muellerus ad Paul. p. 27, cum '*addues*' quod explicatur '*addideris*' ex 'adduas' dicat nasci potuisse ut '*attingem*' ap. Catonem ex '*attingam.*'

559) '*duent dabunt*' id. '*dunt* (l. *duunt*) *dant, tribuunt*' Gl. Mai VI 521), — a 'dŭo' igitur perfectum derivatur 'dūi': ut '*duit dedit*' est in Gloss. Papiae et in vet. Gl. Mai VII 559. — Unde quod coniunctivus et futurum II 'dūim' et 'dŭo' fingitur, non 'dūerim', 'dūero', id antiquissimae formationis non leve documentum est: qua scilicet terminatio ad ipsam verbi stirpem necdum intercedente verbo substantivo accedebat.[1]) Qua de re licet in meum usum convertere quae de sanscritae linguae futuro similiter F. Boppius disputavit Gramm. compar. § 657 ed. 2. Idem autem contigit in eiusdem verbi forma alia '*deda*'; i. e. 'dedant' iuxta '*dedro*' (i. e. 'ded-sunt', 'dederunt') in titulo Pisaurensi C. I. L. 177 servata, quam ingeniose explicavit comparato graeco πεφύκαντι Mommsenus in Ital. inferior. dial. p. 237 — nam oscum 'fufans' non debebat adiungere, quod imperfectum esse post G. Curtium Aufrechtius et Kirchhoffius intellexerunt Umbr. ling. mon. I p. 164; cf. huius liber 'Das Stadtrecht v. Bantia' p. 7. 49. Atque in osco tabulae Bantinae sermone '*pr. censtur Bansae (ni pis fu)id*', '*nep censtur fuid*' (v. 28), '*tr. pl. ni fuid*' (29), '*fuid*' non significare 'sit', sed 'fuerit', quod alias osce est '*fusid*', Buggius statuit in Kuhnii Annal. scient. ling. comp. VIII p. 39 sq., hoc maxime argumento nisus, quod in ceteris quoque eius legis vetitis coniunctivus perfecti ponatur: '*ni hipid*' (ne habuerit) v. 8. 14. 17, '*nep fefacid*' (ne fecerit) v. 10, '*ne phim pruhipid*' (ne quem prohibuerit) v. 25. Id si verum sit — ut specie veri sane commendatur — rei de qua agitur apprime conveniat: neque tamen confidenter quidquam decernere ausim nec me fugiunt quae contra eam opinionem Corssenus disputavit ib. IX 156.

Iam vero in hac forma ut geminaretur vocalis u, sola grammaticorum doctrina Accii auctoritati obsecutorum[2]) institutum est, ex qua itidem legitur in titulo sepulcrali C. I. L. 1051 '*ultuma suorum fuueit*' — qua quidem forma recte diiudicata quod addit Mommsenus tituli aetatem ut *uu* pro uv

[1]) Neque enim de syncope — qualis recte quidem statuitur in 'ausim' (ause sim), 'dixis', 'respexis', 'iusso' sim., quemquam opinor cogitaturum esse.

[2]) cf. Velius Longus p. 2220. Terentius Scaurus p. 2255. Marius Victorinus p. 2456 P. Ritschelius Mon. epigr. tria p. 22 sqq.

accipiamus non pati: ne ratio quidem patitur, nisi forte probabile ducas radicem aliquam secum ipsam componi. Atque eo quoque unde profecti sumus Plinii loco non '*arduitur*' primitus fuit, sed '*arduuitur*': quo ducit praeter disertum Toletani testimonium '*duuitur*' coniectura fortasse, sed vera effectum, praecipue mendosa Paris. pr. m. et Chiffletiani scriptura '*diuiditur.*' Quae res sane memoratu dignissima est, praesertim cum iam Plauti aetate productionis in istis formis nullum extet vestigium. cf. Cas. II 8, 43 '*ei ego omnem amorem meum concredui*' — nam horum quoque verborum eandem esse rationem in aperto est. Atque ex Plauto praeter id quod supra memoravi exemplum iam ea quoque tuto huc revocanda sunt, in quibus recte God. Hermannus futurum et perfectum, non praesens agnovit: Capt. III 5, 36 '*Quando ego te exemplis pessumis cruciavero Atque ob sutelas tuas te morti misero, Vel te interisse vel perisse praedicent, Dum pereas, nihil interduo aiant vivere.*' Aul. III 6, 49 '*Fides, novisti me et ego te: cave sis tibi, Ne [tu] in me inmutassis nomen, si hoc concreduo.*' Amph. II 2, 40 '*si situlam cepero, Numquam edepol tu mihi divini creduis post hunc diem, Ni ego illi puteo, si occepso, animam omnem intertraxero*', quibus addo Truc. II 2, 51 '*numquam edepol mihi Quisquam homo mortalis posthac duarum rerum creduit, Ni ista ego vestra ero maiori facta denarravero.*'

In ceteris autem quae apud Plautum aliosque inveniuntur, quorum paucissima tantum Hermannus attulit, utrum perfecti an praesentis coniunctivus intellegatur, vix umquam diiudices. Nam ut sane nihil obstat, quominus perfectum statuamus in talibus: '*nam quod dedit tam duim quam perduim*' Aul. IV 6, 6. '*eluas tu an exungare ciccum non interduim*' Rud. II 7, 22; cf. Trin. IV 2, 152. '*tu mihi triobulum Ob eam ne duis*', Rud. V 3, 12; cf. Capt. II 2, 81. V 2, 27. '*Malum quod isti Di Deaeque omnes duint*' Most. III 1, 125. Ter. Phorm. 946. Pl. Trin. II 4, 35 al. '*Iuppiter te perduit*' Epid. I 1, 64 cf. Poen. III 4, 30 al. '*Di te perduint*' Cicero p. Deiot 7, 21. '*utinam tibi istam mentem Di immortales duint*' id. in Catil. I 9, 22; cf. Tacitus Ann. IV 38 — haud secus ac dicitur '*Di meliora faxint*' s. '*Di monerint meliora atque amentiam averruncassint tuam*' Pacuv. ap. Paulum p. 373 —: ita Aul. I 1, 23 '*Nimisque ego hanc metuo male Ne mihi ex insidiis verba imprudenti duit Neu*

persentiscat aurum ubi est absconditum;' cf. Men. II 1, 42; Asin. II 4, 54 *'Non magni pendo, ne duit si non volt;'* Terent. Phorm. IV 5, 1 *'ego curabo, ne quid verborum duit'* ad praesens potius inclinat iudicium. Ac fieri facile potuit, ut propria huius formae notio usu paulatim attenuaretur, sicuti apud Plautum 'faxo' saepe parum distat a primi futuri significatione.[1])

Quamquam ne hoc quidem infitias eam praesentis quoque coniunctivum esse 'duim' similiter formatum atque 'sim', 'velim', 'nolim', 'malim', 'edim', *'temperint'* (Pl. Truc. I 1, 41); — nam quae his coniunxit Struvius de decl. et coni. p. 146 eumque secutus G. Curtius de temp. et mod. p. 262: *'effodint'* (Pl. Capt. III 5, 66: *'effodiunt'* Pall.), 'carint' (Most. IV 1, 1: cf. Men. V 6, 25), *'coquint'* (Pseud. III 2, 30: *'c(oc)unt'* Ambr.), *'sinit'* (non *'finit'* — ut mire Curtius — Curc. I 1, 27, ubi leg. *'sirit'*), ea vel librorum auctoritate non satis firmantur vel corrupta sunt; *'verberit'* autem (Fest. p. 230) prorsus hinc alienum esse statim exponam. — Cui sententiae favet et mira conspiratio inter 'duim' et 'δοίην' (sanscr. 'da-dyâm' cf. Boppius Gr. comp. § 690) glossariis quoque probata — *'duint* δοῖεν δώσωσιν' (?). *'duit* δοίη' Gloss. Philox. — et ipsa in glossariis explicatio *'duint dent, tribuant'* Gl. Amplon., *'duent et duint dent, tribuant'* Gl. Mai VII 559, *'duent dentribuant'* Gl. Paris. ed. Hildebr. p. 118: ubi quod bis exaratur *'duent'* etsi in Papiae gloss. est *'duent dabunt'*, non tamen ideo errori tribuerim. Immo si conferimus *'addues addideris'* apud Paulum p. 27, hanc inter 'duim' et 'duem' discrepantiam potius ab utriusque quasi archetypo 'duiem' (δοίην) pariter ut 'siem', 'veliem', formato[2]) repetendam esse dicemus. Namque coniunctivum praesentis ne dicas 'duem' pro 'duam' effictum esse antiquo more, quo *'dicem'* et *'faciem'* scripsisse Catonem Censorium Quintilianus prodit I 7, 23 (id. fort. Plaut. Pseud. 214), quo adeo abiecta m littera *'attinge'*, *'dice'*, *'ostende'*, *'recipie'* similia permulta ab eodem Catone aliisque prolata esse Paulus et Festus testantur p. 26. 72. 201. 286 M. cf. Placidus gl.

[1]) cf. quae Madvigius collegit exempla Opusc. II 75, quamquam falsus in eo, quod ipsum futurum praesens in talibus formis agnosci voluit, de qua opinione cf. G. Hermannus l. l.

[2]) cf. Boppius Gr. comp. § 674.

p. 452 '*dice dicam*': rationi conveniens est hunc usum in futuro substitisse. — Atque hinc quidem, cum iam sola vocalis mensura differant praesentis et perfecti coniunctivus, apte id simul explicatur qui fiat, ut vocalis in futuro perfecto geminatio a grammaticis tanta cum diligentia observata sit.

'*Arduuitur*' igitur iam persuasum est futurum exactum passivi esse atque raris illis et vetustissimis futuris adnumerandum, quibus in passivam formam ex activa translatis terminatio passivo propria adhaesit, cuius in locum postea successit sola participii cum verbo substantivo compositio. De quibus formis[1]) verum iudicium Madvigius Opusc. II 81, Curtius l. l. p. 343, Corssenus de Enunt. II 38 sqq. protulerunt. Atque ex eo numero alterum fuit in XII exemplum Festo memoratum p. 166 '*Nanceitor in XII naetus erit, praenderit*' (*praeno erit* cod.). Qua glossa vix credibile est Freherum Parerg. I 9 ita usum esse, ut imperativum fingeret V 5 '*gentilis familiam nanceitor*': incredibilius etiam eundem hoc commentum persuasisse Gothofredo et Dirkseno.[2]) — At suo iure O. Muellerus et hic et duobus qui statim sequuntur locis ex foedere latino '*pecuniam quis nancitor*' et '*si quid pignoris nasciscitur*' (sic) et simili p. 227 '*renancitur Verrius significare ait reprehenderit*' constanter reposuit '*nanxitor*' (s. '*nanxsitor*') et '*renanxitur*', quoniam a 'nancio' — quod verbum Prisciano teste p. 888 P. I 513 H. '*in usu fuit vetustissimis*', cf. Gracchus pro se: '*si nanciam populi desiderium*'[3]) — perfectum fit 'nanxi', fut. II 'nanxo' ('nanx-eso'). Neque enim quod Mommsenus vo-

---

[1]) Praeter eas quarum supra mentio inicitur hae adferuntur: '*faxitur*' in rogatione de vero sacro ap. Livium 22, 10, 6. '*iussitur*' Cato r. r. 14. '*turbassitur*' in ficta Ciceronis lege III 4, 11, quibus addendum '*mercassitur*' ex lege agraria v. 71.

[2]) Rectius Cuiacius Obss. 10, 11: cum suam legis V 6 restitutionem 'aguatus proximus tutelam naucitor' parum commendari Festi glossa dicat.

[3]) 'nanco' verbum errore effecit Boppius Gr. comp. III p. 133. Sed quo modo Corssenus Symb. crit. p. 37 'nancire' verbum statuat ex Gracchi loco necessario intellegi, non minus assequor. Cui etsi species quaedam accedit ex comparatione v. 'sancio sanxi': at eodem iure haud dubie 'capio capsi', 'facio faxi' in censum vocare licet. Immo aptius sumitur a 'nancītur' descendere 'nanciscitur' quam a 'naucītur', ut a 'pacere' fit 'pacisci.'

luit Mus. rhen. phil. XV 464: praesens esse '*nancitur*' sive '*naciscitur*' idque eum in lege vim habeat futuri, futuro explicari solere a grammaticis, in tam certa et accurata interpretatione bis repetita satis faecre ullo modo potest: qui quo exemplo tale explicandi genus illustrari voluit, id ipsum cur parum mihi probetur, infra dicam. Quamquam Corssenum qui (de Enunt. I 5. II 38sq.) probata Muelleri sententia potius '*nancsitor*' et '*renancsitur*' quattuor istis locis scriptum fuisse autumat, bene idem refutat, vetus mendum monens aeque repeti posse a scriptura Augusti aetate celebrata '*nancxitor*.'

Iam vero — ut redeam tandem unde digressus sum — quod de forma '*arduuitur*' iam videtur exploratum esse, idem tota loci Pliniani condicione confirmatur. Etenim hunc locum si diligentius inspexeris atque eum Ciceronis quem supra attuli contuleris, haudquaquam plena legis verba citari a Plinio cognosces: in quibus parentis sive parentum mentio prorsus desideretur. Porro quod uterque refert '*sine fraude*' coronam ex lege imponi mortuo, suspitionem movet id ipsum eodem modo quo fit in praecepto quod statim sequitur de auro in dentibus condito (Cicero de leg. II 24, 60) diserte in XII cautum fuisse. Ne multa, legis verba in hunc modum videntur restituenda esse

'*Qui coronam parit ipse pecuniave eius honoris virtutisve ergo, si arduuitur ei parentique eius, se fraude esto.*'

Plinius igitur cum vocem '*arduuitur*' non satis intellegeret, pro arbitrio putandus est resectis, quibus carere posse sibi videretur, legem constituisse. Neque vero in eo offendendi caussa est, quod cum praesenti '*parit*', quo res universa ponitur, in altero membro futurum exactum ad certum statum spectans iungitur: qui usus munitur antiqua lege Servii Tullii quae dicitur apud Festum p. 230 '*si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer divis parentum sacer esto.*' Hic enim '*verberit*' non est, si quid video, qui vulgo perhibetur post Scaligerum [1]), coniunctivus praesentis pro 'verberet' inter eos referendus, de quibus supra vidimus, nec magis futurum exactum, sive id ex 'verberarit' — quae ipsa forma novicia

[1]) cf. Struvius de decl. et coni. p. 146. G. Curtius de temp. et mod. p. 262. Boppius Gr. c. § 690.

est pro 'verberassit' — nescio qua syncope offectum temere credas lexicographis nostris sive O. Muellero Suppl. Ann. p. 393 ex 'verbus-sit' mutatione litterae s in r oriundum inaudita illa in his futuri formis aucta vi consonantis s ex compositiono stirpis cum verbo substantivo. Atqui hactenus recte egit Muellerus, quod tertiae coniugationis verbum requisivit: quamquam quod tamquam certum eius rei vestigium citat 'verbustus' vocabulum, id quidem quantumvis dedita opera inquirens investigare nusquam potui. Nimirum '*verberit*' simplex est praesentis indicativus verbi 'verberere' antiquioris, unde declinatur postea 'verberare.' Qua de forma non est cur ad carmen Arvale provocem, etsi ibi vocem '*berber*' videri non de fervendo, sed de verberando solo accipi posse, ut 'verbera', pro quo olim dici potuit 'verbere', imperativus sit abiecta vocali extroma, sat probabilis pro re nata est Mommseni opinio in Corp. Inscr. Lat. I p. 10. Sed alia in promptu sunt. Simili enim transitu 'temperare' descendit a 'temperere', hoc a 'tompesere', quam priscam formam servant participia 'tempestus' — apud Paulum Exc. ex Festo p. 362 '*tempesta tempestiva*' et Thom. Thes. nov. latin. p. 592 cf. 583 M. '*tempestus vel tempestivus in tempore conveniens*' — et 'intempestus'; atque ad hoc tertiae malim quam ad primae coniugationis verbum revocare coniunctivum '*temperint*', praesentis illum, non perfecti quod voluit O. Muellerus l. c., quem Palatini Plauti testantur Truc. I 1, 41 proxime ad exemplum similium 'edint' 'nolint' efformatum. Hinc vero iam confidentius de pluribus eiusdem generis verbis idem iudicandum erit. Nam pariter quae feruntur adiectiva 'honestus', 'funestus', 'modestus', 'scelestus', 'robustus', 'augustus', 'venustus', vetustus', 'onustus', denique 'confoedustus' (Paulus Exc. p. 41 '*confoedusti foedere coniuncti*'; id. corr. Placidi gloss. p. 448 '*confoeditos foedere copulatos*'; cf. Thom. Thes. p. 151 s. vv. *confoedustus. collateralis.* 156 v. *consponsus*) omnia participia intellegenda sunt eorum verborum tertiae coniugationis, unde posterior usus derivata effecit 'honorare', 'funerare', 'moderare', 'scelerare', 'roborare', 'augurare', 'venerare' (Plaut.), 'inveterare', 'onerare', 'foederare'[1]): ubi

[1]) Idem suspicandum de 'augustus.' Paullo differt 'iustus' a 'iuso', 'iov-so' (hinc 'iovro', 'iuro': cf. Ritschelius Mon. epigr. tria p. 36). — De re vid. iam O. Muellerus ad Paul. p. 41 'Inter foedustus et foedera-

pristinam vocalem o in participiis istis, item in substantivis ad quae referuntur honos, venos (cf. tituli speculorum in Prisc. Lat. Mon. ep. XI M. N.), modus, scelus, robus (Paul. Exc. p. 264 v. robum), funus, vetus (i. e. ἔτος, cf. vetus-tas cum tempes-tas sim.), tempus, onus, foedus, augur plerumque in u, in verbis derivatis rursus in e mutatam sola roborandi et honorandi verba — licet in hoc iam vetus participium spreverit — servaverunt. Omnino vetustior sermo multorum verborum nativam speciem in compositis maxime integram atque intactam reliquit, quae postea in noviciam derivatorum flexionem abiit. Cuiusmodi exemplum finitimum illi legis regiae ipsa subministrat XII tabularum lex '*vindicit*' (III 3) ab antiquiore verbo 'vindicare', i. e. 'vim dicere', unde etiam vindicta, vindex originem repetunt.[1]) Nam quod ibi quoque vel coniunctivum Scaliger l. c. vel futurum exactum Forcelliniani lexici editores interpretantur: utrumque iam membrorum aequabilitas vetat: '*ni iudicatum facit aut quis*[2]) *endo eo in iure vindicit.*' Quin pristinam vim vindicandi h. l. servatam conspicuam reddit ipsa structura: quamquam non perspexerunt critici qui variis conaminibus locum sanissimum vexarunt et corruperunt sive '*endo iure vind.*' mutando, quod voluit Scaliger, sive '*endo em iure vind.*', quae praeter rationem concexa Salmasio praeeunte plerique cum legis tum Gellii editores probarunt, nisi quod '*eom*' propius ad litterarum ductus accedens Hertzius proposuit. Nec aptius '*endo eo*' temporis significationem Gothofredus explicat 'interea': immo iudicatus intellegendus est. Atque '*endo eo vim*

tus ea est proportio quae inter onustus et oneratus.' Eandem sententiam de parte horum verborum nuper professus est G. Curtius in comm. de vestigiis coniugat. lat. in o Symbolis philol. Bonnens. in honorem F. Ritschelii coll. insertae I p. 274 sq. 'funestus, honestus haben gewissermassen in Verben wie honorare, roborare, oneraro ihre Stütze, zu denen sie sich ähnlich verhalten wie lautus zu lavare, saeptus zu saepire. Die Participia und participartigen Adjectiva gehen hier auf eine primitivere Stammform zurück, während der Präsensstamm in die abgeleitete Conjugation ausbiegt u. s. f.'

[1]) cf. O. Muellerus in Mus. rhen. iur. V 190 sqq. Perperam autem istam formam Ciceroni quoque vindicare conatur Heinrichius ad Cic. or. p. Tull. p. 71.

[2]) '*quips*' forma, de qua derivanda frustra quaeritur (cf. praeter alios Ebelius in Kuhni Annal. VI 208 sq.) ne a codicum quidem auctoritate bene munita est.

dicit' bene illustrat ipsum agendi modum; significat enim 'in eo vim monstrat, manifestam reddit' ('dic-' i. e. δεικ-): quem loquendi usum ne in vindicandi quidem verbo prorsus intermortuum esse Gellii descriptio fidem facit e vetere auctore hausta XX 10, 7 '*Nam de qua re disceptatur in iure (in re) praesenti, sive ager sive quid aliud est, cum adversario simul manu prendere et in ea re sollemnibus verbis vindicare, id est vindicia.*' § 9 '*et in ea gleba tamquam in toto agro vindicarent.*' Addita autem '*in iure*', quae nescio cur inclusit Mommsenus Mus. rhen. phil. XV p. 464, non magis ab h. l. abesse par est quam ab altero de vindiciis praecepto '*si [qui] in iure manum conserunt*' VI 5. cf. Gellius l. c. 8 '*Correptio manus in re atque in loco praesenti apud praetorem ex XII tabulis fiebat.*'

Denique etiam '*secanto*' (III 6) ad eandem normam quo '*vindicit*' non sine specie Huschkius revocavit de iure nexi p. 88 n. 119 '*secunto*' in lege scriptum ratus. cf. idem de tigno iuncto p. 19 n. 33.

Iam vero quod '*verberit*' et '*vindicit*' coniunctivos iniuria explicari vidimus: confidenter addimus omnino coniunctivum etiam a condicionalibus enuntiatis harum legum prorsus alienum esse[1]); qui sicubi in legem infertur, aut error subest aut correctoris licentia. Atque apud Festum p. 376 (XII 4) ne codicum quidem fide nititur '*si velit is*' quod cum aliis Huschkius retinuit Iur. ant. p. 26 frustra tutatus Gai loco IV 163 —: sed libri vel '*siue litis*' testantur vel coniunctim '*siuelitis*': ut illud servare sane tutissimum sit. Quamquam vehementer arridet quod O. Muellerus inde effecit '*stlitis (et vindiciarum)*' — praestat '*stlitis (vindiciarum)*': cf. Cicero in Verr. II I 45, 115 c. Asconio. Kellerus proc. civil. p. 29 n. 108 — '. . . *arbitros tres dato*': nec tamen probabilitate omni destituitur Cuiacii commentum Obss. V 21 '*rei sive litis*' reponentis. cf. Varro l. l. VII 93 '*in actionibus videmus dici "quam rem sive mi litem dicere oportet.*" Cic. p. Mur. 12, 27.

At magis in censum venit fr. VIII 22 '*Qui se sierit testarier libripensve fuerit, ni testimonium fariatur, inprobus intestabilisque esto.*' In verbo '*fariatur*', cuius notio perspicua est, forma obscura, mirumquantum expatiata est priorum critico-

[1]) cf. etiam O. Muellerus Script. min. I 379.

rum libido: cum *'feriatur'* Rivallius, Cuiacius al., *'feratur'* Sigonius, *'ferat'* quidam apud Turnebum Adv. XIII 26, *'fateatur'* Turnebus ib. et XXIX 14 — *'fari iatur'* adeo Salmasius Observ. ad ius Att. c. 30 proponerent: qui cumulatis erroribus turbas auxerunt potius quam composuerunt. Nec profecto composuit Bergkius, qui nuper in Philol. XXI p. 591 luxi sanandi cantionem apud Catonem r. r. 160 interpretatus in formarum *'daries dardaries astataries'* comparationem *'fariatur'* quoque vocavit ut optativum nescio quem praeteriti liberiore usu positum, quem usum in condicionalibus maxime sententiis diutius quam vulgo statuatur mansisse adseverat —: quae de tripode edita confiteor mea acie esse impeditiora. Neque enim *'farietur'* cui respondeat *'daries'* et quod praeterea affert 'essem' ex 'esiem' 'ἐζίην' i. e. 'εἴην' natum (?), in Gellii libris extat — inferre quidem voluerat Bynkershoekius Obss. VII 25 — neque eiusmodi optativi ulla in lege vestigia apparent. Alia igitur explicatio circumspicienda erit: atque cum indicativum intellegi necesse sit, ad f a r i a n d i verbum quod ex f a n d i stirpe derivetur devehimur. Cui verbo aliunde non cognito dixerit quispiam haud levem auctoritatem accrescere ex Donati verbis ad Terentii Phormionem IV 4, 28 *'hariolus est qui divina mente vaticinatur: dictus hariolus quasi fariolus a fatis et a fando, cum F pro H et item H pro F in multis locutionibus ponatur.'* Ac reapse extitisse formam *'fariolus'* Terentius Scaurus testatur p. 2250. 2252 P. et Gloss. Vat. VI p. 524 M. *'fariolus hariolus':* unde Schwenckius quoque Lex. etymol. p. 311, 260 et Christius Philol. XVIII 174 eandem huius vocis originationem quamquam neglecto Donati loco rursus protulerunt. Atqui hoc et nimis incertum est et habet quo displiceat: cum vocabulum 'hariolus', in quo suam vim aspiratio retinet, nullo modo liceat separare ab 'haruspex' sive 'harispex' (cf. Orellii Inscr. 2294. 2298[1])) quae ad stirpem 'hara', 'hira', (=χολάς, χόλιξ) i. e. 'intestina' (Macrobius comm. in somn. Sc. 1, 6, 77. Paulus Exc. ex F. p. 101. Gloss. Labb. Plac.), iure revocavit Aufrechtius in Kuhnii Annal. ling. comp. III p. 198 sq. cf. G. Curtius Etym. gr. elem. I 170. Corssenus Symb. crit. p. 213. Non ma-

[1]) 'Arioli et aruspices' iunguntur Plaut. Amph. V 2, 2. Mil. gl. III 1, 99. Terent. Phorm. IV 4, 27. Cicero de nat. D. I 20, 55.

gis autem quod v. 'farius' in compositis 'multifarius', 'bifariam' etc. a fando quidam repetunt — qualis frequens est in glossariis harum vocum interpretatio [1]) — id ullam ex horum verborum significatione et usu commendationem habet. Denique verbi alicuius latini radicem adiecta syllaba 'ri' augeri nullo omnino exemplo comprobatur. Quibus rebus eo adducor, ut novae rationis periculum faciendum putem. Namque aut prorsus fallor aut unius litterae mutatione '*fatiatur*' scribendum est. Hanc enim formam aliquando extitisse certissime evincitur opposito 'infitiandi' verbo ex 'infatiandi' per vocalium a in e, e in i transitum effecto, quemadmodum ex 'coniacio' factum est 'coniecio' — cf. lex Servilia l. 50 al. apud Lachmannum ad Lucr. p. 128 — dehinc 'coniicio', itemque ex 'ad-ago' 'adego' — cf. '*adegitat* cυνάγει cυνελαύνει' Gl. Labb. — tum 'adigo'. [2]) Atque in fatiandi quoque verbo prioris vicis notam servavit 'fetialis' haud dubie inde repetendum, non a fide aut foedere — unde Varro voluit l. l. V 86 et Gloss. Mai VII 561 '*fetiales qui ante foediales dicti*', adde Thomae Thes. p. 245 M. Plutarchum Num. 12. Camill. 18 atque ex recentioribus Huschkium Incerti auct. magistratuum et sacerdot. expositt. ined. p. 133 et Goettlingium Hist. reipubl. R. p. 195 n. 7 — neque a feriendo, ut Paulus ex Festo p. 91. Fetiales igitur sunt oratores: quos etiam vocari 'oratores' Varro testis est apud Nonium p. 529 (cf. Festus p. 182 v. oratores); atque eodem alludit Ciceroniana lex de leg. II 9, 21 recte a Reifferscheidio Mus. rhen. XVII 291 sq. ita constituta '*Foederum pacis* [*belli*] *indutiarum oratores fetiales sunto, iudices non sunto.*' A 'fatior' autem proxime abesse 'fateor' apparet: quibus tertia accedit formatio ab eadem stirpe profecta 'fator' ex Pauli exc.

[1]) cf. Gloss. Mai VI 506 '*ambifarius ambabus partibus loquens*', '*ambifarius bilinguis*' — sed 507 '*amfariam ambubus partibus*' — p. 534 '*multifarie multis sermonibus*', VII 569 '*multifariae multae fabulae*' (sic), '*multifarie multis locutionibus, vel multis partibus*', 552 '*befarius bilinguis*', 553 '*bifarium biformem bilinguem duplicem*', VIII 66. 76. Gloss. Amplon. 278 (277). Gl. Hildebr. p. 31. Easdem derivandi ineptias prodit explicatio vocis '*adfatim optime loquens*' VI 503. VII 551. '*affatim ad sermonem*' VII 551. cf. Paulus Exc. ex Festo p. 11 '*affatim dictum a copia fatendi, sive abundanter.*'

[2]) Comparare licet etiam Umbrorum '*fetu*' et '*feitu*' i. e. 'facito' iuxta '*facurent*' exaratum.

p. 88 '*fatantur multa fantur*' et Gl. Labb. '*fator* πολυλογέω.' Denique illi quam eruimus formae oppido convenit oscus infinitivus '*fatium*' in lamina plumbea Capuae nuper reperta et a Minervinio Bull. Neapol. nov. ser. V p. 100 t. VIII publicata: quem cum 'fateri' infinitivo Corssenus composuit in Kuhnii Annal. ling. comp. XI p. 344. Idem cum in Symb. crit. p. 75 sqq. cf. Philol. XX 732 sq. eorum verborum conspectum ageret in quibus suffixum 'ti' appareat stirpi adiectum, ex quarta maxime coniugatione nubem exemplorum attulit, ut 'artire', 'futire', 'potiri' al., primam non tetigit. At ne ex hac quidem desunt praeter 'fa-ti-or', 'infi-ti-or' exempla: quibus finitimum est 'spa-ti-or' ex radice 'spa', gr. σπά-ω, de qua cf. G. Curtius Etym. Gr. 1 p. 354. Idem autem — nam de satiandi verbo nihil decernere ausim — in 'vi-ti-o' comparere suspicor: 'vitium' enim et 'vitio' vix est quo probabilius referatur quam ad antiquum 'vio' (cf. vi-men, vi-tis) s. 'vieo', quod ligandi et plectendi notionem habet, unde 'vietus' est 'inflexus', 'flaccidus': '*vita detritus*' explicat Thomae Thes. p. 622 cf. 596. 628 M. Itaque 'vitium' proprie non significat lapsum aut violationem, sed impedimentum potius et inde quoddam excusandi momentum. Atque hac ipsa significatione primaria ponitur in lege I 3 '*si morbus aevitasve vitium escit*', ubi editorum quorundam commentum '*vitiumve*' ipsi Hugoni probatum vero argumento usus Dirksenus reiecit p. 150. Quo magis miror neque Dirksenum neque recentiorum quemquam eo ipso in alio loco diiudicando usum esse, cui dudum bene consuluerat Cuiacius. Namque II 2 cum post morbi sontici aliarumque excusandi caussarum mentionem sequatur '*quid horum unum fuit iudici arbitrove reove, eo dies diffensus esto*' (Fest. p. 273), pro '*unum*' quod ne explicari quidem apte potest, lenissima mutatione Cuiacius quod sententia flagitat restituit '*vitium*.' Quam emendationem Ursino immerito tribuens sprevit, non refutavit O. Muellerus, cum praecessisse iustas excusationes moneret. Atque observandum est in iureiurando militari apud Gellium XVI 4, 4 haec ita reddi '*nisi harunce quae caussa erit: funus familiare feriaeve denicales . . . morbus sonticus auspiciumve . . . status condictusve dies cum hoste: si cui eorum harunce quae caussa erit, tum . . .*' prorsus ut Auct. ad Herenn. scribit II 13, 20 '*et cui morbus causa est*', item Cicero de leg. III 4, 11 '*senator qui*

nec aderit aut causa aut culpa esto': ut in recontiore usu 'caussa' respondeat ei quod in lege erat 'vitium.'

Eodem autem loco quod '*fuat*' pro '*fuit*' a Scaligero mutuatus est O. Muellerus, non iam est cur multus sim in coniunctivo redarguendo. Ac ne caussa quidem offensionis ulla apparet, cum lex perfecti usum minime respuat: cf. XII 4 '*si vindiciam falsam tulit*', III 6 '*si plus minusve secuerunt.*' Nam sane duo loci excipiendi sunt XII 3 '*si servus furtum faxit noxiamve nocuit*' et VIII 2 '*si membrum rupit, ni cum eo pacit, talio esto.*' Quorum altero iam quod praecedit '*faxit*' Pithoeo favet '*noxit*' reponenti — quae forma et ex Lucilii versu innotuit (Festus p. 360 v. tama) '*inguen ne existat, papulae, tama, ne boa noxit*' et ex Frontonis ad M. Caesarem ep. III 13 p. 78 ed. Rom. '*ne piscis aliquo noxsit.*' cf. Papiae gl. '*noxit noxat (?) nocet.*' Placidi gl. p. 486 M. '*noxit noxia est (sit?) vel noceat.*'

Iam altero loco quominus '*rupit*' probetur, inprimis impedit Festi glossa p. 265 rectissime a Mommseno illuc revocata. Ubi quod vulgo legitur '*Rupitias in XII significat damnum dederit*' mirifice hominum doctorum acumen exercuit: quae verba cum ex prioribus criticis quidam inter se conciliare studerent vel '*dederis*' vel '*rupitiat*' correcto — scilicet nihil morati inauditam futuri formationem — recentiores fere acquieverunt in Dacierii opinione excidisse aliquid post '*rupitias*', velut '*faxit*': ut huc revocato loco p. 323 '*sarcito in XII Ser. Sulpicius ait significare damnum solvito, praestato*' fragmentum eiusmodi efficerent '*rupitias qui faxit* s. *qui iniuria faxit, sarcito*' cf. O. Muell. ad h. l. Huschkius 'Gaius' p. 106 (Annal. iur. scient. histor. XIII 261 n. 17). Quin mira omnia de ista si Dis placet rupitia — quam adeo Ciceronis Bruto c. 34 impertivit — Huschkius somniavit Rudorffio comite (H. i. r. II 359 n. 1): quam placuit priscum iniuriae genus fuisse et usque ad damnum lege Aquilia introductum obtinuisse. At ut omittam tale praeceptum in universum pronuntiatum minime respondere XII tabularum indoli: omnino carere possumus his interpretandi artificiis. Nam cum Keilio teste '*in*' ante '*XII*' a codice absit, bene Mommsenus Mus. rhen. XV 464 praepositionem latere in corrupta voce '*rupitias*' perspexit. Idem tamen cum '*rupit in*' statuat scriptum atque inde potissimum argumentum

repetat perfecti vim in lege a grammaticis futuro exacto exprimi, nimium probat: immo inverso ordine dicomus, quoniam in glossa futurum apponatur, idem ex lemmate turbato esse eruendum. Nec profecto fortuito s littera adhaesit: quam sua potius sede motam ac fortasse supra versum additam errore librarii post IA ex IN mutilatum insertam esse subindicat Pauli comparatio qui non habet nisi '*rupitia damnum dederit significat.*' Itaque iam vides me eo redire, quod iam pridem sagaciter invenit Scaliger '*rupsit in XII sign. d. d.*' Namque incautius Dirksenus obloquitur p. 530 '*rupsit*' formam adeo obsoletam non fuisse, quae interpretatione egeret. Quod neque per se in Verrium valet, qui talia quoque plura receperit — cf. modo Paulus p. 107 '*incensit incenderit sicut incepsit inceperit*' — neque quidquam ad hunc locum momenti habet, ubi non de forma agitur, sed de notione. Nimirum quod in lege fuit '*si membrum rupsit*', id postea et usu et prudentum interpretatione de quovis damno iniuria dato acceptum est: ut in rogatione de vere sacro apud Livium XXII 10, 5 '*si quis rumpet occidetve insciens.*' Atque ipse Scaliger iure ad suam coniecturam firmandam usus est Ulpiani verbis D. 9, 2, 27 § 13 '*Inquit lex* (sc. Aquilia § 5) "*ruperit*": *rupisse verbum fere omnes veteres sic intellexerunt: corruperit*', quibus addere poterat Coll. II 4 '*Rupisse eum utique accipiemus qui vulneravit vel virgis vel loris vel pugnis cecidit* e. q. s.' Accedit nunc plenius Gai testimonium Inst. III 217 '*si quid enim ustum aut ruptum aut fractum (fuerit) actio hoc capite* (sc. l. Aquiliae) *constituitur: quamquam potuerit sola rupti appellatio in omnes istas causas sufficere. Ruptum (enim intellegitur quod quoquo modo corruptum) est: unde non so(lum usta aut) rupta aut fracta, sed et(iam) scissa et collisa et effusa et . . . . aut perempta atque deteriora facta hoc verbo continentur.*' Legi igitur ipsi in Festi loco imputatur, quod interpretationi domum posteriori debebatur. Iam quin recte hanc glossam ad illam ipsam legem VIII 2 a Gellio et Festo v. talionis citatam Mommsenus rettulerit, cum extra dubitationem positum sit: '*rupsit*' ibi vel refragante Gellio reponere eo minus dubito, quod etiam '*rapserit*' h. l. extat in utroque Festi Vaticano. Ceterum rarioris huius formae exemplum Placidi glossae servant '*disrupsit dispersit*' III p. 452 cl. VI 560 M.

De altero quod vulgo fertur coniunctivi in XII exemplo

'si nox furtum factum sit', iam verba fecimus p. 79: ut non minus pateat reiiciendum esse quod V 5 ex Collationis codicum scriptura *'si gnatus nescit'* Hauboldius protulit *'nec sit'*, aut quod V 4 lacunam post *'nec'* in Ulpiani cod. Vaticano idem Hauboldius eumque secuti Hugo et Goeschenus (in Annal. iur. scient. histor. IV 130) suppleverunt *'cui suus heres nec sit.'* Atqui fuerunt qui et hoc loco, cum in Coll. XVI 4, 1 *'est'* exhibeatur, rarius autem vocabulum apud Ulpianum librarii ignorantia omissum esse non sine caussa sumatur, et illis duobus aliisque quibusdam *'esit'* veterem sive coniunctivi sive futuri formam introducerent: quod cum etiam O. Muellerus probasset in excursu ad Collat. editionem Blumianam p. 164 cl. 142: idem postea retractavit sententiam in disquisitione bonae frugis plena de *'escit'* et cognatis formis in lege XII inserta Hugonis Promptuario iur. civ. VI 420 sqq. — unde repetita est in Script. min. I 375 sqq. — Ubi locis omnibus diligenter pervestigatis *'esit'* nullam usquam a codicum vestigiis commendationem habere vere perspexit, nimius tamen in eo, quod inde statim a decemvirum aetate litterae s inter vocales usum antiquissimum abiudicavit: qua in re nec recte fratrum Arvalium carmine utitur (Suppl. Ann. ad Fest. p. 386) neque omnino rationem satis tenuit moris illius novandi et accommodandi, quem in XII maxime obtinuisse supra vidimus. Quod ut merito notavit Huschkius de tigno iuncto p. 21 sq.[1]): ita ipse rursus illi notandus fuit (Suppl. ann. l. l.): qui vetus commentum *'esit'* et recoxerit et novo more exornaverit praescus interpretatus, non futurum.[2]) Nec validiora sunt argumenta quibus errorem firmavit: cum *'escit'* inchoativum pro futuro fuerit decemviris, alteram formam *'erit'* dicens ferri non posse; adeoque ipsum futurum primum post *'si'* poni non solere excepto uno loco I 3 *'si — vitium escit'* 'ubi quoniam haec omnia ad in ius vocantem referuntur, quo respectu vere sunt futura, etiam futurum ponendum erat': quae refellere nil attinet; cf. I 3 *'si nolet, arceram ne sternito'*, III 4 *'si volet, plus dato.'* Nam quod unum aliquam sane speciem prae se fert VIII 16 *'si adorat*

[1]) cf. G. Curtius de temp. et mod. p. 116.

[2]) Cuius sententiae comitem nactus est Wesenbergium ad Ciceronis Tusc. III 5, 11 in edit. Baiteri.

furto, quod nec manifestum erit' futurum non valere in relativa sententia: apte Muellerus opposuit relativo potius membro propriam vim condicionalem contineri, ut sit idem atque *'si furtum quo adorat, nec manifestum erit.'* — Iam vero quod Muellerus Scr. min. I p. 382 plerisque illis quos recensuit XII tabularum locis *'escit'* e codicum mendis eruendum esse statuit: rectissime statuit.[1])

Etenim rara forma *'escit'* cum bis saltem intacta in libris servatur I 3 *'vitium escit'* et V 7 *'ast ei custos nec escit'*, tum facili negotio efficitur ex librorum scriptura V 5 *'si gnatus* (l. *agn.*) *nescit'* i. e. *'nec escit' (n'escit).* Idem V 7 statuendum: ubi cum in libris Auct. ad Herennium *'existet'*, in Ciceronis de invent. *'erit'*, in Tusculanarum disp. denique *'esse incipit'* constanti interpolatione substitutum sit, unus Nonius Tuscul. locum antestatus p. 443 *'esset'* tradidit: unde *'escit'* proclivis est mutatio. Conferas modo Lucretium I 619 *'ergo rerum inter summam minimamque quid escit?'*: quo loco *'essit'* Oblongus, *'esset'* eius corrector.[2]) Omnino late patere litterarum ss et sc in libris perturbationem recte monet Wesenbergius. Quod si meminissent recentissimi Ciceronis editores de leg. II 24, 60 *'cui auro dentes iuncti essent'* (X 9), non *'esunt'* potius ut pridem proposuit Raevardus quam cum Lambino *'escunt'* dedissent: quam formam ipse Cicero in lege ficticia expressit III 3, 9 *'ast quando duellum gravius, discordiae civium e s c u n t.'* Itaque ne V 4 quidem, quin *'escit'* apud Ulpianum fuerit in lacuna, est quod dubitemus.

De ipsa vera forma *'escit'* — quam per futurum explanare solent grammatici: cf. Paulus exc. p. 77 *'escit erit'* et Festus p. 302 *'superescit significat supererit'*[3]) — verissimum iudicium

---

[1]) Excipiendus Macrobii locus, de quo meam sententiam supra significavi: quem nimis confidenter Corssenus Symb. crit. p. 35 inter fontes v. *'escit'* refert.

[2]) Incerta res est in Accii versu (praetext. 16 R.) cit. ap. Non. p. 200. *'Castra haec vestrum est: optime essis meritus a nobis'* ubi *'escis'* Bothius.

[3]) Exempla addit Ennii Ann. 486 *'Dum quidem unus homo Romanus toga superescit'*, et Accii Chrysipp. v. 261 *'Qui hinc superescit, Spartam (et) atque Amyclas trado (ego).'* Ceterum de *'escit'* cf. ex prioribus criticis maxime Turnebus Adv. X 15 et Cuiacius Obss. VII 18.

Muellerus fecit l. l., breviter quid rei sit indicans ad Pauli glossam 'Forma huius "*escit*" erat verbi inchoativi, significatio futuri.' Nam qui formam et ipsam futuri explicat ex 'esjit' i. e. skr. 'asyati' oriundam G. Curtius de t. et m. p. 115 sq., a Corsseno refellitur Symb. crit. p. 35 sqq.: cum sj in si ('siem') non in se transire soleat latini sermonis lege: quae ratio iam inde improbanda erat, quod ipsius v. '*escit*' futurum formatur, si qua fides est Pauli verbis p. 188 '*obescet oberit vel aderit.*' Nec magis Boppius audiendus est Gr. comp. III p. 104, qui in 'escit', 'gnosco', 'ἔσκον' 'γιγνώσκω' gutturalem intellegat quasi quendam 'comitem euphonicum' litterae s et c, cum idem p. 132 sq. alia inchoativa contendat addita ipsa forma 'esco' s. antiquiore 'asco' effecta esse: quae iure condemnat Pottius Quaest. etym. II p. 628 ed. 2. cf. Corssenus l. l. Nimirum 'escit' proprie est inchoativum: cui quod futuri partes aliquando tributae sunt, ex arcto vinculo quo iungitur futuri cum incohandi notione, simplicissime explicatur: qua de cognatione multa ingeniose ut solet Pottius l. l. disputavit. Veteris autem formae ratio quaedam habita videtur in edicti praetorii verbis '*cui heres non extabit*' (ap. Ciceronem p. Quinct. 19, 60): quemadmodum pristinae significationis memoriam servavit vel interpolatio — nam profecto interpolatio est nec quod placuit Wesenbergio librarii error — apud Ciceronem et Auct. ad Herennium '*si furiosus esse incipit*' et '*si f. existet.*'

Omitti autem praedicatum in neutra sententiae parte licet: quod genus et ab omni legum habitu atque usu et a nativa priscae aetatis dicendi ratione nimis remotum est. Itaque III 7 '*Adversus hostem aeterna auctoritas*' a XII certe '*esto*' non abfuit. Altera ex parte I 9 hinc potissimum firmatur suspitio membrum '*si ambo praesentes*' plane illud supervacaneum ab interprete male interpolatum esse.

Denique sententiarum nexus in lege est simplicissimus: quae cum fere semper uno enuntiato et condicionem et statutum continente absolvantur: tum sicubi plures ad eandem rem tendunt, solutae nec ulla copula iunctae alteram altera excipere solet. cf. III 2—4 '*Post deinde manus iniectio*

esto. in ius ducito. ni iudicatum facit . . . secum ducito. vincito aut nervo aut compedibus. quindecim pondo ne maiore aut si volet minore vincito. si volet suo vivito. ni suo vivit . . libras farris endo dies dato. si volet plus dato.' al.

Hinc autem fructus aliquid redundare videtur ad locum multifariam vexatum I 7—9 (Rhet. ad Herenn. II 13, 20. Gellius XVII 2, 10) *'ni pagunt, in comitio aut in foro ante meridiem causam coniciunt cum perorant ambo praesentes. Post meridiem praesenti litem addicito. Sol occ. supr. temp. esto.'*

'*coniciunt*' ('*conitiunt*') constanter Gellii libri: '*cuicito*' s. '*conicito*' ('*conitito*') Auct. ad Herenn. At nullum ex codicibus subsidium habet '*conscito*' quod in Aldina Gellii primum obvium cum priorum criticorum compluribus Huschkius arripuit in I. G. Huschkii Annal. litt. p. 106. Quin miro consilio utrumque probare videtur Lachmannus: nam aliter accipi vix poterunt quae ad Lucret. notavit p. 349 'iudex enim conscit h. e. cognoscit caussam, cum eam partes coniciunt: quapropter ex XII tabulis et "*caussam conscito*" et usitatiore vocabulo "*conicito*" relatum legimus, quia utrumque coniunctum est.' Verum utrumque si quid video roiiciendum est: idque maxime efficitur neglecto adhuc Afranii testimonio, qui hanc legem respexit in Materteris v. 216 R. '*causam coicere hodie ad te volo. — Ambon adestis? — Profuturos arbitror.*' Hinc igitur certo intellegimus de caussae coniectione in lege sermonem esse, ac iudicem esse, ad quem caussa coniciatur; qui coniciat, litigatorem. cf. Gellius V 10, 9 '*et cum ad iudices coniiciendae* [*consistendae* (*consciendaeque* Lachmannus)] *causae gratia venissent..*' Dig. 50, 17, 1 '*Per regulam igitur brevis rerum narratio traditur et, ut ait Sabinus, quasi causae coniectio est, . . . quae simul cum in aliquo vitiata est, perdit officium suum.*' Asconius person. ad Cic. Verr. I 9, 26 p. 164 Or. Gaius IV 15. Itaque diversa confundat si quis cum Dirkseno aliisque servans '*conicito*' ad magistratum de quo sequitur '*addicito*' referat. Ad litigantes autem cum iam revocandum sit, qui quidem duo diserte significantur, singularis tolerari nequit. Quare unus Scaliger ad Fest. v. plorare verum assecutus est ex Gellii '*coniciunt*' efficiens '*coniciunto*': nisi quod '*coiciunto*' magis et Afranii loco et optimorum Rhet. ad Her. librorum scriptura '*cuicito*' commendatur. De qua scribendi ratione cf. Corssenus

de Enunt. I 96. — Sed gravioris mendi suspitio est in membro quod proxime iungitur '*cum perorant ambo praesentes*': qua temporis significatione tamquam in transcursu inserta et legis in sententiis pangendis simplicitas et ipsa rei veritas violatur. Nempe insequi, non prosequi caussae coniectionem solebat peroratio, in eaque cardo totius actionis positus fuit: cf. Gaius IV 15 '*Deinde cum ad iudicem venerant, ante quam apud eum causam perorarent, solebant breviter ei et quasi per indicem rem exponere, quae dicebatur causae coniectio* (*collectio* cod.) *quasi causae suae in breve coactio.*' — Quamquam neutiquam satisfacit violenta Scaligeri medela etiam ab Ursino Lipsio Funccio recepta, qua totum membrum resecuit atque pro '*praesenti*' deinde substituit '*praesentibus ambobus.*' Nec melius rei a Cosmano consultum est qui ex temporali relativam sententiam reddidit: '*quam perorant a. p.*' Ipse igitur cum aliquando temptassem '*coram peroranto ambo p.*', iam libentissime cedo Bergkii acumini quo puto id ipsum quod flagitatur sine ullo lectionis traditae detrimento restitutum esse: '*com peroranto*' (Mus. rh. ph. XIX 605 sq.). Nam quod ipse voluit Bergkius '*comque peror.*': copula haud gravate carebimus in lege, quae asyndeta minime spreverit. '*com*' autem vetusta forma[1]) per se posita ut Graecorum σύν — cf. in Cyrilli Gl. '*con* σύν', Gl. Labb. '*con et cum* σύν' — apprime convenit XII tabularum antiquitati.

Omnino autem praepositiones in lege propriam vim et libertatem quodam modo retinuisse exemplo sunt a Festo citata '*transque dato*' '*endoque plorato*'; ut rectius, ni fallor, distinguatur etiam '*endo iacito*' (I 2), '*qui fruges ex cantassit*' (VIII 7) sim.[2]) Idem valet de alio compositionis genere, velut '*venum duuit*' (IV 2) — cf. Pacuv. 121 R. Plaut. Merc. II 3, 19 (354). Gellius N. A. XX 1, 19 (Thomae Thes. p. 626 M. et Gloss. Paris. p. 290 Hild. '*venum venditio*' (?)), aut '*usus auctoritas*' (V 13), '*usus capio*' (VII 4), cf. '*satisve datio*' in lege Gall.

[1]) '*con*' recentioris originis est; cf. Ritschelius de titulo Mummiano Ind. schol. Bonn. 1852 p. VI. G. Curtius Etym. gr. elem. II 120.

[2]) cf. Bergkius de carm. Saliar. Ind. Marb. 1847/8 p. VI. Ritschelius Prisc. latin. mon. epigr. Index: Notae anagnost. Buechelerus in Fleckeiseni Annal. phil. 87 p. 339.

cisalp. sim. Atque duorum horum quae extrema posui compositorum ut in priore miror etiamnunc esse quibus '*usus*' genetivus videatur — cf. Rudorffius ad Puchtae Inst. II § 230 n. — ita in altero quod ipse genetivum protuli, qui ceteris est ablativus, magis etiam erunt qui mirentur. Ac tamen audeo dicere usus capionem primitus fuisse quae deinde auctoritate iurisprudentum et forma et notione paulisper immutata usucapio effecta sit. Namque quod apud Ciceronem de leg. I 21, 55 optimorum librorum consensu firmatur '*usus capionem*', idem Gellius diserte testatur VI (VII) 10: '*Ut haec ususcapio dicitur copulato vocabulo, a littera in eo tractim pronuntiata, ita pignoriscapio iuncte [sunt] et producte dicebatur. Verba Catonis sunt . . . per quod satis dilucet hanc capionem posse dici quasi hanc captionem et in usu et in pignore.*' Quibus vim attulit Hertzius '*usucapio*' reponendo: alteram enim formam cum bonae notae libri et in inscriptione et in verbis scriptoris testantur, tum ipsa comparatio pignoris capionis atque inprimis verba extrema, quae aliter ne explicari quidem possunt, postulant. Nec profecto casui tribuendum est, quod in Gai Inst. II 60 sq. '*usus capio*' et '*usus receptio*' inter se iunguntur, etsi in eis quae antecedunt semper extat '*usucapio*', semel '*usureceptio*' § 59, item sine exceptione 'usucapere', 'usu recipere': ac laudandus Boeckingius qui unus non solum receperit istam scripturam, sed etiam aliis testimoniis munivorit Fragm. Vat. § 12. § 111. Dig. 41, 9, 1 § 2 etc.

Praeterea vero ei favet et prisci sermonis consuetudo, a qua aliquantum distat coniunctio 'usû-capio', et prae ceteris oppositi vocabuli quod est 'usurpare' ratio. Usurpatio enim ex vetere usu erat usucapionis interruptio (Dig. 41, 3, 2): quemadmodum usurpasse ex XII tabulis (VI 4) mulier dicebatur quae, ne in manum mariti conveniret, quotannis trinoctium ab eo abesset usumque anni interrumperet (Gaius I 111. Gellius III 2, 12): unde quomodo fere oppositam vel occupandi vel frequenter utendi significationem acceperit, Gai locus apte illustrat Dig. 41, 3, 5 '*Naturaliter interrumpitur possessio cum quis de possessione vi deiicitur. . . nec eo casu quidquam interest is qui usurpaverit dominus sit necne.*' cf. Cicero de or. III 28, 110. Utraque autem notio bene accommodatur ad verbi originem ab O. Muellero in Mus. rhen. iur. V 201 erutam

'usum-rapere' — praestat opinor 'usum-rupere' etsi ad idem caput redit — unde factum 'usu-ripare.' Iam prorsus eodem modo usum capere is dicebatur, cui usus a nemine interruptus legitimo tempore explebatur. Ex 'usus capio' autem coniuncte scripto 'usucapio' effictum est haud secus atque '*legirupio*' apud Plautum Rud. III 4, 4: unde posterior prudentium doctrina priore significatione oblitterata 'usu capio', 'usu capere' diiunxit, 'usu' ex consuetudine forensi in inveteratae possessionis partem accepto. Ceterum aliqua ex parte licet in comparationem vocare veterem locutionem 'usus venit' apud comicos obviam (cf. Plaut. Mil. I 1, 5. Ter. Heau. III 2, 42. 46), — pro qua Ciceronis aetate constanter 'usu venit' dicebatur.

Porro — ut redeam unde deflexit disputatio — a sententiarum quem dixi nexu legi XII proprio aliquantum recedit legis de tigno iuncto (VI 7—9) restitutio sagaciter ab Huschkio suscepta 'ad legem XII tabb. de tigno iuncto comm.' p. 29 '*Tignum iunctum aedibus vineave sei concapit, ne solvito, (neque vinea) quandoque sarpta*[1]*), donec dempta erunt, (tigna vindicito: ast qui iunxit, duplione damnum decidito).*' Cui praeter alios suo calculo adstipulati sunt Puchta Script. min. p. 292 sq. Inst. § 232 dd. et Boeckingius Pand. § 140 n. 23. Verumtamen parum ille probabiliter diversa in unum coegit particula '*neque*' — debebat saltem '*neve*' —: cum prius membrum ad aedes et vineam, alterum suapte natura ad solam vineam respiciat — id quod ne ipsum quidem Huschkium praeteriit, cf. p. 26 sq. —: nec minus refragetur idem vocabulum diverso adeo numero repetitum '*tignum* — *tigna.*' Quare his praestat altera ratio quam idem proposuit, sed ut duriorem reiecit p. 24 n. 42 '*quandoque sarpta, donec dempta erunt tigna, ne vindicito.*'

Tum quod Cuiacium ex parte secutus[2]) scripsit '*sei con-*

---

1) '*Sarpta quandoque*' errore tantum scribitur p. 29, unde repetitur a Puchta et Boeckingio l. l. cf. p. 4 et 24. Ceterum ex parte viam praeivit Huschkio Locella in libro 'Tria tentam. ad illustr. XII tabulas' p. 180 '*Quandoque sarpta vinea escit, donicum dempta erunt, tigna vindicare ius esto*': etsi sententiam effecit contrariam.

2) Fallitur autem in eis quae de Cuiacii coniectura '*et concapitum*'

capit' — *'et concapit'* Festi libri p. 364 — mirifice languet atque otiosum est: quod iure explosit Eichstadius (De ICtorum atque philologorum discordi saepe concordia. Ien. 1839 p. 17 sq.). Is autem perperam rediit ad Scaligeri correctionem *'vineaeque concapes'*, de qua vere statuit O. Muellerus ad Fest. l. Ac ne Mommseni quidem auctoritas quod nuper in Festi cod. quat. XVI p. 76 breviter notavit 'unice vera est emendatio [Bosii] *'e compage'*, persuadere potuit: cum mihi quidem unice probetur ingeniosum Muelleri inventum *'e concape'* — nisi quod *'concapi'* potius ex codicum vestigiis eruitur: quemadmodum VIII 12 *'luci'* ex XII et in Ennii imitationem *'si luci, si nox..'* et in testimonia Gellii XI 18, 8 et Ciceronis p. Tullio § 47 transiit[1]) male hinc expulsum ab editoribus praeter Kellerum omnibus. *'Concapis'* autem vocabulum etsi aliunde notum non est, tamen et legi formatio antiqua et significatio huic loco optimo congruit. Ipse Muellerus iam in usum suum vertit Pauli glossam p. 225 *'procapis progenies quae ab uno capite procedit'* — cf. paulo aliter comparata *'procapis proximus'* *'procapibus proximis'* Gloss. Isid. —: poterat etiam alterum huc revocare p. 91 *'formucapes* (ita Scal. *formucales* cod. manifesto err.) *forcipes dictae quod forma capiant'* cf. p. 84. Nimirum haec fuit forma vetustior eorum quae in 'ceps' postea contracta sunt vel substantivorum vel adiectivorum, ut 'manceps', 'auceps', 'praeceps', 'anceps': atque *'ancipes'*, *'bicipes'*, *'praecipes'* nominativos antiquis fuisse Plautinis exemplis Priscianus comprobat p. 725 P. cf. Scaliger ad Festi l. Tum ne notionem quidem 'concapis' alienam esse ab hoc loco eiusdem stirpis docet vox 'capistrum' de vitibus adhibita a Columella IV 20, 3 *'quare cum ad summum palum recte vitis extenta est, capistro constringitur etc.'* cf. II 2, 95.

---

propter Scaligeranam retractata refert p. 4. cf. Bernaysius 'I. I. Scaliger' p. 144 sq.

[1]) Recte hinc Schrooterus efficit (in Schuuckii Ann. litt. iur. IV p. 33) *'luce'* potius quam quod quibusdam ex prioribus visum est *'interdiu'* in lege extitisse; cf. etiam formula rogationis apud Livium XXII 10, 6 *si nocte sive luce — faxit, probe factum esto.* Caeterum adverbiali 'nox' (a 'nocts') cui apte 'fors' adverbium comparat Corssenus in Kuhnii Annal. III 291 sq. — etsi de explicandis his formis haud aeque persuasit — Plautus quoque utitur Asin. III 3, 7 (597) *'nox si voles — manebo.'*

Iam vero num absolutum qui dicitur ablativum '*vineâ quandoque sarptâ*' incomptae decemvirum aetati imputare liceat, ea de re vehementer dubito. Atque unus quidem reperitur in fragmentis abl. absolutus III 1 '*Aeris confessi rebusque iudicatis* (Gell. XV 13) s. *rebusque iure iudicatis* (id. XX 1) *XXX dies iusti sunto.*' At qualis est ista coniunctio: '*Aeris confessi rebusque iudicatis*'? Aut qui potest omnino genetivus aptus cogitari a '*XXX dies*' — quod voluit Schweglerus H. R. III p. 36 n. — tali membro supervacaneo importune interposito? Sed conferas quaeso quibus verbis rem describit Gellius XX 1, 42 '*Confessi igitur aeris ac debiti iudicatis XXX dies sunt dati conquirendae pecuniae causa*': iam intelleges pariter in lege '*iudicatis*' dativum esse ad personas, non res, spectantem et inde pendere '*aeris confessi*'[1]) — ut apud Livium VI 14 '*Centurionem nobilem iudicatum pecuniae cum duci vidisset*', XXIII 14 '*quique pecuniae iudicati in vinculis essent.*' Quod confirmatur Gai testimonio III 78 '*Bona autem veneunt — item iudicatorum post tempus quod eis partim lege XII tabularum partim edicto praetoris ad expediendam pecuniam tribuitur.*' D. 44, 3, 2 '*in tempore constituto iudicatis*' e. q. s. Quamquam pluralis, quem quidem Gellius per totam narrationem servat, in lege ipsa vix extiterit: cuius ex more unus fingitur debitor in hisce: '*in ius ducito. ni iudicatum facit*' e. q. s. '*rebusque*' igitur manifesto ferri nequit: quod ex '*debitique*' secundum priorem locum hic quoque posito corruptum recte videbatur Oiselio. Id autem sive Gellius ipse addidit sive, quod praefero, interpolatoris manus: a lege abhorrere languidum additamentum pariter atque '*iure*' quod altero Gellii loco ne comparet quidem certissimum est. Ac possit aliquis suspicari etiam '*iudicatis*' sive malis '*iudicato*' aliquando perspicuitatis caussa adiectum esse, cum ex lege XII sine personae mentione simpliciter fuerit: '*Aeris confessi XXX dies iusti sunto. Post deinde manus iniectio esto.*'

Itaque ne illo quidem loco '*vineâ sarptâ*' ablativus magnopere se commendat: ut vel tutius post '*sarpta*' fuisse '*escit*' s. '*erit*' — non '*sit*', ut male Cosmanus —, a Festo praetermissum statuatur. Nam de ipsa re prorsus consentio cum Huschkio

[1]) de hoc cf. Huschkius de iure nexi p. 13 n. 16. Stud. iur. R. p. 297.

ceterisque, qui vineam sarptam intellegunt; nec mihi probata est Muelleri opinio non tigna, sed ipsa '*sarpta*' i. e. sarmenta putata dempta dici: cui qui patronus nuper extitit Corssenus Symb. crit. p. 32 sq. structurae enuntiati male consuluit coll. Ciceronis ep. ad fam. VI 19, 2 '*quoad ille quandoque veniat*' vertens 'bis einmal die abgeschnittenen Reiser weggenommen werden.' Scilicet de vinea dubitari non patitur Festi locus huc ipsum sine dubio referendus p. 322 '*Sarpta vinea putata, i. e. pura facta*' e. q. s. Tigna autem dempta recte cogitari indicatur Dig. 6, 1, 59 '*Nam quae alienis aedificiis conexa essent, ea quamdiu iuncta manerent, eorundem aedificiorum esse, simul atque inde dempta essent, continuo in pristinam caussam reverti.*'

Postremo quam oppositionem Vito et Gothofredo auctoribus Huschkius instituit per adversativam qualem intellegit particulam: '*ast qui iunxit . .*' — qua ne alibi quidem abstinuerunt editores; ut ex Ulpiani verbis fr. 26, 1. Collat. XVI 4, 1 '*id enim cautum est lege XII tabularum hac: "si intestatus moritur . .*' cum Contio, Pithoeo aliis nuper Boeckingius in ed. Ulpiani quarta efficeret '*ast si int. m.*' —: ea et ipsa vim intulit legi. Etenim primum tali oppositioni diserte expressae nullus est locus in lege coniunctionibus parcissima: cuius in reliquiis duae tantum compareant temporis finem accuratius constituentes I 1 *si in ius vocat, ito: ni it, antestamino: igitur* (i. e. tum demum) *em capito* — cf. Paulus Exc. ex Festo p. 105 M. '*Igitur... apud antiquos ponebatur pro inde et postea et tum*'; sim. Plaut. Amph. I 1, 145. Mil. gl. III 1, 177. Cas. II 2, 39. Handius Tursell. III 185. II 252 — et III 1 sq. *triginta dies iusti sunto. Post deinde manus iniectio esto:* quod quominus '*postidea*' corrigamus cum Scaligero ad Fest. v. nervum Lipsio Ursino, obstat et idem repetitum in Gellii descriptione XX 1, 44 '*Post deinde nisi dissolverent ad praetorem vocabantur*', et similium comparatio unde eius generis cumulationem ex more antiquioris sermonis fuisse cognoscimus. cf. Plaut. Stich. II 1, 29 *postid igitur deinde*, Amph. III 1, 16 *post igitur demum*, Terent. Andr. III 2, 3 *poste deinde*, Lucret. III 528 *post inde*, Varro l. l. V 9 *post tum*, Gellius XV 12, 3 *post deinde* al.: quem morem in vulgari lingua, ut videtur, diutius manentem ne a posterioris quidem aetatis scriptoribus alienum esse exempla docent ab Handio Tursell. II 242. IV 502 congesta, quibus adde Pom-

ponium Dig. 1, 2, 2 § 32. Vopiscum v. Probi extr. Nec transitus exprimitur nisi I 4 '*proletario iam civi quis volet vindex esto.*' — At gravius accedit alterum. 'Ast' enim in antiquis linguae monumentis neutiquam opponentis esse ac prorsus differre ab 'at' particulae notione et usu subtiliter indagavit Buechelerus in Fleckeiseni Annal. phil. 79 p. 765: etsi quam ipse professus est meliorem sententiam, ne ipsam quidem mihi satisfacere confiteor. Qui Ciceronianae maxime legis verbis motus de leg. III 8, 19 '*Divos et eos qui caelestes semper habiti, colunto et ollos quos endo caelo merita conlocaverint, Herculem, Liberum .... ast olla, propter quae datur homini adscensus in caelum, Mentem, Virtutem, Pietatem*' e. q. s. statuit 'ast' nihil aliud significare nisi 'ut', ita tamen, ut ea particula similiter atque Graeca ὡς et relative usurpata et demonstrative — cf. Livius X 19, 17 '*si hodie nobis victoriam duis, ast ego voveo*' — ratio potius quae inter caussam et consequentiam invicem intercedat ('ut — ita') exprimatur. Quibus adstipulatus Reifferscheidius in Mus. rh. phil. XVII p. 294 alia ex Ciceronis legibus exempla collegit quibus relativam notionem iam transiisse in temporalem probaret. Verum eiusmodi transitum in ipsis Tullii antiquis fontibus usu venisse non opus est sumamus: nimirum et haec exempla et quae ipse Buechelerus ex regiis legibus et fratrum Arvalium monumentis attulit, parum huius opinioni favent. Sunt enim haec: Servi Tulli lex apud Festum p. 230 '*si parentem puer verberit, ast olle plorassit, puer*[1]) *divis parentum sacer esto.*' Fratr. Arval. mon. T. XXIV I 8 Mar. '*astu* (i. e. *ast tu*)[2]) *ea ita faxsis tunc tibi nomine collegi (fratrum Ar)valium bo-*

[1]) '*paren puer*' cod., cum librarii oculi ad priora '*parentem puer*' — non ad sequens '*parentem*' ut Muellerus putat — aberraverint.

[2]) '*as*' formam quam etiam Vergilii Palatinus testatur Aen. X 743 Ribbeckius in Fleckeiseni Annal. v. 77. p. 188 in comparationem vocavit vetustae formae 'pos' a Ritschelio (Mus. rh. VII 566 sqq. cf. VIII 155 sqq. G. Curtius in Kuhnii Annal. I 268 sqq.) et erutae et expeditae: ut quemadmodum haec amplificata est suffixo 'pos-te' ('pos-te-d') 'post': ita eodem adiecto ex 'as' effectum sit 'as-te', 'ast'. Nec sine probabilitate id quidem: etsi littera t videri possit et in fratrum Arvalium titulis particula cum pronomine in unum coalescente non geminata esse — ac XXIII 49 est '*ast tu*' — et in Vergiliano codice, quo uno loco poeta ante consonantem ea forma utitur '*as de me divom pater*' etc. errore suppressa. Illud vero quod dubitanter idem proposuit

vem [debebat: *bove*] *aurato vovemus esse futurum*', id. v. 11. 15. 19. T. XXIII 49 '*ast tu (ea ita faxsis, tunc tibi nom)ine collegi fratrum Arvalium bubus au(ratis duobus vovemus esse futuru)m*' — idem supplendum ib. v. 53, ubi Marinius: '*(quod hodie vovimus) tunc tibi in eadem verba no(mine collegi* e. q. s.)'; T. XIX ter, cf. v. 8 '*acxis tunc tibi in eadem verba*' e. q. s. denique T. V extr. et T. XXX —; tum ex Ciceronis legibus III 3, 9 '*Ast quando duellum gravius, discordiae civium escunt, oenus ne amplius sex menses — teneto*', '*ast quando consules magisterve populi nec erunt, reliqui magistratus ne sunto.*' 4, 10 '*Ast quid erit quod extra magistratus coerari oesus sit, qui coeret populus creato.*' 11 '*ast quid turbassitur in agendo, fraus actoris esto*'[1]) . . . qui loci se invicem defendunt ab improba priorum editorum correctione '*ast si.*' Sed in his exemplis quid maxime ansam praebeat interpretationis eius, quam Buechelerus voluit, non assequor. Immo sponte inculcatur condicionalis particulae notio.[2]) Atque idem persuadet huius voculae in XII tabulis usus. Nam verba citata apud Festum p. 162 '*ast ei custos nec escit*' quod interpretes ad legem de furiosi curatione V 7 ab Auctore ad Herenn. et Cicerone liberius traditam rettulerunt, recte id quidem: modo ne eam ita constituamus ut a recentioribus quibusdam criticis cum summa et sententiae et verborum detrimento constitutam video '*si furiosus escit, adgnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto; ast ei custos nec escit*': quasi vero '*escit*' liceat imperativo substituere — sed ut iampridem unice probabilem reddidit Marcilius '*si furiosus escit, ast ei custos nec escit, adgn. g. in eo p. eius p. esto.*'

'as' cum 'abs' praepositione nescio quo significationis vinculo cohaerere et in compositis 'aspello', 'asporto', 'astulit' (Charis. p. 211) agnosci fide indignum est.

[1]) Omittendum fuit § 10 '*ast potestas par maiorve prohibessit, perscripta servanto*' quod huius loci non esse recte statuit Buechelerus in Halmii edit. cf. § 28.

[2]) cf. modo cum illis Fratr. Arval. testimoniis formulas ex carmine Dis evocandis civitatique devovendae ap. Macrob. Sat. III 9 '*si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum*' et '*si haec ita faxitis ut ego sciam sentiam intellegamque, tunc quisquis hoc votum faxit, ubi faxit, recte factum esto.*' Omnino in antiquis precationum formulis frequens est per 'si-tum' coniunctio; cf. Livius I 24, 8. 32, 7. XXII 53, 11. Paulus exc. ex Festo p. 115 v. lapidem.

Alter locus est Ciceronis de leg. II 24, 60 nondum persanatus: qui in libris ita traditur: '*cui auro dentes iuncti* (*uncti* B) *essent ast im* (*astim* A) *cum illo sepelleturetue se* (*uaese* B, *uese* H) *fraude* (*frande* H) *isto.*' Ac Turnebi emendationem plerisque omnibus acceptam '*ast im cum illo sepelire urereue se fraude esto*' recte improbavit Halmius ut nimium a codicum vestigiis recedentem; sed quod ipse Buechelero auctore dedit '*ut cui auro dentes iuncti esunt, ast im cum illo sepelirei ureive se fr. esto*': parum convenit legi et infinitivus passivi cum accusativo a '*se fraude esto*' aptus et contorta totius sententiae structura. Quam enim Halmius addit explicationem (in Fleckeiseni Ann. l. l.) respondere sibi '*ut*' et '*ast*' pariterque '*cui*' et '*im*': ea vereor ut ipsi satis perspicua sit. Neque vero '*ut*', quod in libris est, ad legis verba pertinet, sed ad manifestum glossema quod praecedit '*lex praecipit altera lege.*' At lenior medela in promptu est: scilicet una littera '*l*' in '*i*' mutata scribendum '*cui auro dentes iuncti escunt, ast im cum illo s e p e l i e t u r e t v e, se fraude esto.*'

'ast' igitur hinc quoque conspicitur non 'ut' significare, sed 'si', sive quod huic finitimum est temporale 'cum.' Qua de re ne quid restet dubitationis, licet ipsos veteres antestari. Charisius p. 229, 30 K. '*ast apud veteres variam vim contulit vocibus pro atque, pro ac, pro ergo, pro sed, pro tamen, pro tum, pro c u m, ut in glossis antiquitatum legimus scriptum.*' Hae quidem glossae antiquitatum non diversae a 'glossematorum scriptoribus' apud Festum p. 166 v. naucum citatis — cf. Varro l. l. VII 10, 34, 107 — haud levis sane auctoritatis sunt: e quibus et plurima Verrius Flaccus hauserit — ut persuasum habeo de eis potissimum quae p. 258—261 traduntur de 'quippe', 'quianam', 'quid nisi', 'quando', 'quatenus', 'quamde', 'quam mox', 'ques', 'quoniam' etc. — et fere quidquid bonae frugis in glossariis posterioris aetatis servatum est, repetendum sit. Ad has igitur redit etiam quod ex Labbaei gloss. est '*a s t* ἐὰν δέ.' Qua in explicatione non sine caussa δέ additur: vides enim et in XII tabulis et in regia lege '*ast*' non poni nisi in altera parte condicionalis sententiae, cuius prior pars a '*si*' ordiatur: ut semper aliquid novi adferat. Neque vero in sententia bipartita bis solet in XII 'si' usurpari. Nam XII 4 '*si vin-*

diciam falsam tulit, si velit is' iam dixi fidem nullam mereri. Itaque nc VIII 11 quidem putaverim *'si nox furtum faxsit, si im occisit, iure caesus esto'* fuisse, sed *'ast im occisit.'* Quin illud ipsum etiam de Plauti loco valet, cuius nunc demum quae sit ratio intellegitur, Capt. III 5, 25 *'Si ego hic peribo, ast ille ut dixit, non redit: at erit mihi hoc factum mortuo memorabile'*: ubi antiquum vocabuli *'ast'* usum et illorum comparatio et *'at'* particula in initio apodosis satis innuit.[1])

Iam vero in illa unde Buechelerus egressus est Ciceronis lege *'divos colunto . . et ollos . . ast olla . . .'* non magis quam in Bellonae invocatione apud Livium *'ast'* 'ut' vel 'ita' significat, sed 'tum', quod in interpretatione glossarum apud Charisium iungitur particulae *'cum.'* Patet igitur hanc oppositorum 'cum — tum' vel 'si — tum' vicem una ista vocula effici. Cui rei haud inepte comparabitur ipsa particula 'si': quae cum condicionem exprimat, tum aucta suffixo 'ce' 'sice', 'sic', itidemque in composita voce 'si-re-pse', 'siremps' (cf. Ritschelius Mus. rh. VIII 303, cuius rationem simpliciorem praestare Huschkii derivationi ib. 458 contra Ribbeckium (in Fleckeiseni Ann. 75, 307) contenderim) demonstrativam notionem oppositam accipit. Neque antiquam formam *'suad'* quam in precatione augurali ut videtur obviam *'sic'* explicat Messalla augur ap. Festum p. 351 M. alienam esse ab osco 'svae', i. e. 'si' O. Muellerus perspexit in suppl. ann. p. 411; cf. Aufrechtius in Kuhnii Ann. I 287 n. Atque ad alteram maxime vim particulae 'ast' accommodata est ea, quam in posteriore usu inde ab Ennii ut videtur aetate accepit: de qua cf. Paulus ex Fest. p. 6 *'ast significat at, sed, vel autem.'* Qui usus in notionis diversitate constantiam servavit in pronomine vel pronominali vocabulo post *'ast'* collocando. Nam ut in illis exemplis vetustis semper habes: *'ast ille'*, *'ast tu'*, *'ast ei'*, *'ast im'*, *'ast quid'*, *'ast quando'*, *'ast olla'*, *'ast ego'*: ita v. c. ex Vergilii Aeneide

---

[1]) *'ast'* apud Plautum praeterea non extat nisi Merc. II 1, 22 *'Atque oppido hercle bene velle istud visus sum, Ast non habere quoi commendarem capram'*: quem versum haud scio an iure spurium indicavit Guyetus. Apud Terentium quidem nusqnam invenitur. cf. Ritschelius Parerg. I p. 516.

haec notavi: *'ast ego'* I 46. VII 308. *'ast illum'* III 330. V 468. *'ast illam'* I 116. *'ast illae'* V 676. *'ast ipsam'* V 509. *'ast alii'* II 467. *'ast aliae'* VII 395. *'ast alios'* VI 316. IX 728. *'ast aliis'* IV 488. *'ast ubi'* III 410. cf. Lucianus Muellerus de re metr. p. 394 sq.

LEGIS

DVODECIM TABVLARVM

RELIQVIAE

TABVLA I.

1. 2.

SI IN IVS VOCAT, ITO. NI IT, ANTESTAMINO: IGITVR EM CAPITO.

SI CALVITVR PEDEMVE STRVIT, MANVM ENDO IACITO.

1. Porphyrio ad Hor. Sat. I 9, 65 'De hoc autem lege XII tabularum his uerbis cautum est 'si . .' Cicero de legibus II 4, 9 'A paruis, Quinte, didicimus 'si in ius uocat' atque alias eiusmodi leges nominare.' Gellius N. A. XX 1, 25 'Verba sunt haec de lege 'si in ius uocat.' Rhet. ad Herennium II 13, 19 'Lege ius est id, quod iussu populi sanctum est, quod genus: ut in ius eas quom uoceris.' Paulus Exc. ex Festo p. 77 M. 'em pro eum ab eo quod est is.' cf. p. 76.

2. Festus p. 310 M. 'struere antiqui dicebant pro adicere, augere . . . At in XII quod est 'si . . alii putant significare retrorsus ire, ali in aliam partem, alii fugere, ali gradum augere, ali minuere: ac (cum *Muell. fort.* si) uix pedem pedi praefert, otiose it, remoratur.' Gaius l. I ad legem XII tabb. D. 50, 16, 233 pr. 'si caluitur et (id est *Ranconnetus. fort.* ut) moretur et frustretur. Inde et calumniatores appellati sunt, quia per fraudem et frustrationem alios uexarent litibus.' Gloss. Vat. VI 513 Mai 'caluitur moratur.' Gloss. Paris. (ap. du Cangium Gloss. med. et inf. latinit. s. u.) et Gloss. Erfurt. (uid. Oehlerus in Iahni Annal. suppl. uol. XIII p. 238) 'caluitur frustratur moratur.' Placidi Gloss. III p. 447 M. 'caluitur frustratur decipit[ur].' Gloss. Labb. 'calpitur (*sic*) ἐξαπατᾷ.' Festus p. 210 M. 'pedem struit in XII signifi-

---

1. in ius] unius *Gellii Reg. m. pr.* uocat * * (at *in litura*) *Gellii Voss. min.* uocat, ito. ni it, antestamino. ig. *scripsi cum Heindorfio in Ann. scient. iur. hist. II 438* (*sed is* testamino): uocationi tantestaminigitur *Porphyrionis Monac. Romani duo Bern.* A (antestamini ig.) *vet. Ursini in mg. ed. Basil. a. 1555* antestari in igitur *al.* si — uocat, ni it, antestamino: ig. *Fr. Pithoeus, O. Muellerus ad Paul. p. 105; sed cf. Rhet. ad Her. cit.* antestator *Carrio Emend. et opin. p. 35 ex optimo libro vet. (?) Dirksenus, al.* em] en *libri.*

3.

SI MORBVS AEVITASVE VITIVM ESCIT, [QVI IN IVS VOCABIT] IVMENTVM DATO: SI NOLET, ARCERAM NE STERNITO.

4.

ADSIDVO VINDEX ADSIDVVS ESTO; PROLETARIO IAM CIVI QVIS VOLET VINDEX ESTO.

---

cat fugit, ut ait Ser. Sulpicius.' Gloss. Labb. 'pedem struit φεύγει.' Nonius p. 6 'caluitur dictum est frustratur — Lucilius Satyr. lib. XVII: si non it, capito, inquit, eum, et si caluitur, ergo Fur dominum' (Eudo manum iacito *Dousa*, endo Fure manum *Bergkius in Ann. Fleckeiseni 83 p. 632 not.*).

3. Gellius N. A. XX 1, 24 sq. 'Sed cur tibi esse uisa est inhumana lex omnium mea quidem sententia humanissima, quae iumentum dari iubet aegro aut seni in ius uocato? [Verba sunt haec legis 'si in ius uocato'] Verba sunt haec de lege 'si in ius uocat, si morbus..' cf. § II. 27. 28—29. Nonius p. 55 'Arcera plaustrum est rusticum tectum undique quasi arca.... hoc autem uehiculi genere senes et aegroti uectari solent. Varro Gerontodidascalo: Vehebatur cum uxore uehiculo semel aut bis anno: cum arceram, si non uellet, non sterneret.' Varro de L. L. V 140 'ut aliis est arcera quae etiam in XII tabulis appellatur: quod ex tabulis uehiculum erat factum (tectum?) ut arca, arcera dictum.' Placidi Gloss. III p. 434 M. et Gloss. Par. (ap. du Cangium Gloss. med. et inf. lat. s. u.) 'Arcera uehiculum in arcae modum confictum, non utique plaustrum, id est carrum.' Gloss. Amplon. p. 274 n. 185 Oehl. 'Arcera plaustrum uehiculum lignorum.'

4. Gellius XVI 10, 5 'Nam Q. Ennius uerbum hoc ex duodecim tabulis uestris accepit, in quibus, si recte commemini, ita scriptum est: 'Adsiduo...' Cicero Top. 2, 10 'Quum lex assiduo uindicem assi-

---

3. si in ius (unius *Reg.*) uocat, si m. *Gellius prob. Vahleno Ann. rei gymn. Austr. 1860 p. 5 sq.* morib; *Reg. (id. § 27)* aeuitasue *Petav. Christ. 597 Magliabecch. al.:* aeuita suae *Voss. mai. et min.* euita sua *Reg.* uocasit (uocassit) *Editor XII tab. anon. Ven. 1525 al. Verba* qui — uocabit *seclusi.* dato sin ore ter cenam ne *Reg.* nester nito (st *ex corr.*) *Voss. min.* — 4. Adsiduo *Reg. Voss. mai. et min.* Ad si duo *SGerman.* adsiduus *Reg. Voss. mai.:* ass. *al.* est (∻ *Reg.* oleatorio *Voss. mai.* iam ciui *Reg. Voss. mai.: om. ctt.* quis uolet *scripsi*: cui quis uolet *Gellii libri* cui quiuis u. *Scioppius Ursinus ex vet. cod. (?)* ciui quiuis u. *Rivallius al.* quiqui u. *Rittershusius.* quei uolet *Mommsenus de tribubus rom. p. 114 n. 101.* pr. iam quiqui ciuis u. *O. Muellerus in Mus. rhen. iur. V p. 192.* est (∻ *R.*) opetimus (*ex* esto' Petimus) *Reg. Voss. mai.*

5.

NEX*i mancipique cum p. R. idem* FORTI SANATI*sque supra infraque ius esto.*

---

duum esse iubeat, locupletem iubet locupleti: locuples enim est assiduus, ut ait L. Aelius, appellatus ab aero dando.' cf. de rep. II 22, 40. Nonius p. 67 'Proletarl dicti sunt plebei, qui nihil reipublicae exhibeant, sed tantum prolem sufficiant . . . . Varro de uita populi Romani lib. I: quibus erant pecuniae satis, locupletis, assiduos, contrarios proletarios. Assiduo ueminem uiudicom uoluerunt, locupleti' (nisi locupletem *Otto Thes. III p. 27.* nisi assiduum, id est locupletem *Turnebus Adv. 29, 15. Sed apparet plura desiderari a Nonio temere resecta*). cf. id. p. 155 u. Proletarii ciues ex Gellio N. A. XVI 10, 8. Thomae Thes. nou. latin. p. 469 M. Paulus Exc. ex Festo p. 9 M. 'Assiduus dicitur . . . . Alii assiduum locupletem quasi multorum assium dictum putarunt. Alii cum qui sumptu proprio militabat, ab asse dando uocatum existimarunt.' Festus p. 376 M. 'Vindex ab eo quod uindicat, quominus is, qui prensus est ab aliquo, teneatur.' Dig. 2, 4, 22 § 1. Gaius l. I ad legem XII tab. 'Qui in ius uocatus est, duobus casibus dimittendus est: si quis eius personam defendit, et si, dum in ius ueuitur, de re transactum fuerit.'

5. Festus p. 321 M. '(Sanates quasi sana)ti appella(ti, id est sanatae mentis. Ser.) Sulpicius (Rufus) . . . et Opiliu(s Aurelius ita existimant) dici inferio(ris superiorisque loci socios) ut Tiburte(s supra Romam aliosque, qui cum) populo Tibur(ti coniurauerant in agro) Tiburti ide(mque in foedus et alios quosdam infe)riorisque lo(ci populos receperant. Hinc) in XII: 'Nox . . . id est bonor(um et in fidem receptorum).' *Supplevit Huschkius de iure nexi p. 255 et Iurispr. anteiust. p. 26.* Id. p. 348 M. 'Sanates dicti sunt, qui supra infraque Romam habitauerunt; quod nomen his fuit, quia cum defecissent a Romanis, breui post redierunt in amicitiam quasi sanata mente. Itaque in XII cautum est ut idem iuris esset Sanatibus quod Forctibus, id est bonis et qui numquam defecerant a P. R.' Paulus p. 84 M. 'Forctes (Forctus?) frugi et bonus siue validus.' Id. p. 102 M. 'Horctum et forctum pro bono dicebant.' Gellius N. A. XVI 10, 8. (T. I 10.)

---

5. *Huschkii supplementa dedi, nisi quod* sanatisque *scripsi Muellerum secutus, qui post Scaligerum locum ita refinxit:* Nexi solutique ac forti sanatisque idem ius esto. (Nexo solutoque forti sanatique *Scal.*) *Huschkium paulo inverso ordine sequitur Brunsius Fontes iur. Rom. ant. p. 5:* Nexi mancipique ius forti sanatique supra infraque Romam id esto quod populo Romano.

6—9.

REM VBI PACVNT, ORATO.

NI PACVNT, IN COMITIO AVT IN FORO ANTE MERIDIEM CAVSSAM COICIVNTO. COM PERORANTO AMBO PRAESENTES.

6—9. Priscianns p. 894 P. I p. 523 sq. H. 'Sed antiqui 'pago' quoque dicebant pro 'paciscor.' Cicero in II ad Herennium: Pacta sunt quae legibus obseruanda sunt hoc modo 'rem — orationi pagunt.' Rhet. ad Her. II 13, 20 'Pacta sunt — hoc modo: 'rem ubi paciscuntur, in comitio — cuicito.' uid. Gai. l. cit. ad 4. Gellius XVII 2, 10 'Sole, inquit, occaso. Non insnaui uetustate est, si quis aurem habeat non sordidam nec procnlcatam; in duodecim autem tabnlis nerbum hoc ita scriptum est 'ante meridiem'... (7.) Nonius p. 267 'coicere agere. Afranius Materteris (216 Ribb.) Causam coicere hodie ad te nolo. Ambon adestis? profuturos arbitror.' Quinctilianus I 6, 11 'Nam cum in XII tabulis legeremus: 'ni ita pagunt', inueniebamus simile huic 'cadunt', inde prima positio etiamsi uetustate aboleuerat, apparebat 'pago' ut 'cado' e. q. s. Terentius Scaurus de orthogr. p. 2253 P. 'Ego contenderim magis superuacuam esse C quam K, quoniam K ut apud Graecos satis uim litterae etiam C exprimat; sed quosdam figura deceptos, qua non solum apud nos, uerum etiam apud antiquos Graecorum haec littera notabatur, ut testatur foedus Graeciae . . . item XII tabulae, ubi est 'ni pagunt' (*l.* pacunt) per hanc formam, quod male quidam per C enuntiant: est enim praepositum eius pepigi a pango, ut tango tetigi, non paxo ut a dico dixi.' (*cf. Schneiderus Gr. I p. 271 not. Corssenus de Enunt. I 7.*) Gloss. Vat. VII p. 572 Mai et Placidi Gl. p. 493 M. 'pacere pacisci.' Gloss. Labb. 'pago, gis συντίθεμαι.' Cen-

---

6—9. rei *Rutgersius Var. Lect. V 16. Kayserus ad Cornif. p. 251.* pacunt *testatur Terentius Scaurus, etsi* pagunt *dedit Putschius:* pagunt *Priscianus et Rhet. ad Herennium codd. interpolati* paciscuntur *utraque familia opt. codd.* orato, ni pagunt *Bosius:* orationi (orcetioni *Paris. R.*, horationi *Bamberg.*) pagunt *codd. Prisc. indeque* oratione (*s.* oracioni *s.* orationem) pagunt (*s.* pang.) *codd. aliquot deteriores Rhet. ad Her. om. melioris notae omnes.* oranto *Scaliger ad Festum v. Plorare.* ratum *s.* ratom esto *Turnebus Adv. 29, 15.* ni ita pagunt *Quinctil. Cuiacius ad t. D. de pactis.* coiciunto *scripsi Scaligerum secutus* (*qui* coniciunto) *ex vestigiis codd. opt. Rhet. ad Her. (cf. Lachmannus ad Lucr. p. 136)*: coniciunt *Gellii Petav. Christ. 597 Magl. SGerm.* conitiunt *Reg. Voss. mai. min.* cuicito *Rhet. ad Her. libri opt. Herbipol. Paris. Erfurt. al.* conicito *s.* conitito *s.* coniicito *ctt.* conscito *Gellii ed. Aldina prob. cum aliis Huschkio Anal. litt. p. 186 Lachmanno ad Lucr. p. 349.* com peroranto *scripsi cum Bergkio* (*sed is* comque) *Mus. rh. phil. XIX p. 605:* cum perorant

POST MERIDIEM PRAESENTI LITEM ADDICITO. [SI AMBO PRAESENTES] SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.

10.

Gellius N. A. XVI 10, 8. 'Sed enim cum 'proletarii' et 'adsidui' et 'sanates' et 'uados' et 'subuades' et 'uiginti quinque asses' et 'taliones' furtorumque quaestio 'cum lance et licio' euanuerint omnisque illa duodecim tabularum antiquitas nisi in legis actionibus centumuiralium causarum lege Aebutia lata consopita sit' c. q. s.

---

sorinus de die natali cap. 23 'Horarum nomen non minus annos CCC Romae ignoratum esse credibile est: nam XII tabulis (*leg.* in XII t.) nusquam nominatas horas inuenies ut in aliis postea legibus, sed 'ante meridiem', eo uidelicet, quod partes diei bifariam tum diuisi meridies discernebat. (9.) Varro de L. L. VII 51 'Suppremum a superrumo dictum. Itaque in XII dicunt 'Solis . . .' Festus p. 305 M. 'Suppremum . . . alias extre(mum significat ut) in legibus XII 'Solis . . .' Macrobius Sat. I 3, 14 'Et mox suprema tempestas, hoc est diei nouissimum tempus, sicut expressum est in XII tabulis 'Solis . . .' Censorinus l. l. c. 24 'Hinc suprema: quamuis plurimi supremam post occasum solis esse existimant, quia est in XII tabulis scriptum sic: 'Solis . . .' cf. Varro l. l. VI 5 'Suprema summum diei, id a superrimo. Hoc tempus XII tabulae dicunt occasum esse solis' c. q. s. Plinius H. N. VII 60, 212 'Duodecim tabulis ortus tantum et occasus nominantur; post aliquot annos adiectus est et meridies' c. q. s. Paulus exc. ex Festo p. 362 M. 'Tempestatem pro tempore frequenter dixerunt antiqui.' id. p. 110 u. intempestam.

10. cf. Gaius Inst. IV 184.

---

libri quam perorant *Cosmanus. Conieceram:* coram peroranto. cum — praesentes *Scaligero suspectum.* 8. post m. — ambo praesentes *om. in mg. add. Voss. mai. Verba* si ambo praesentes *praeeuntibus plerisque et Gellii et XII editoribus inclusi.* 9. sol occasus (solo cas' *Voss. mai.*) *Gellius:* solis occasus *Varro Censorin. Macrob. Festus* (*apud quem* 'occasus — supre' *deest in cod.*) *defendit Bergkius nominatiuum intellegens Ind. Hal. aest. 1860 p. V not. et in Fleckeis. Ann. t. 83 p. 503* solis occasu diei *cod. Flor. Varronis VII 51* (diei *fort. ex interpolatione. In Festi loco iniuria suppletur*). suppma *Reg. Voss. mai. SGerm.* supprema *Christ. 597 Magl.* suppre ma tē (*om.* pestas) *Voss. min.* esto.' Nos] est (÷ *R.*) onos *Reg. Voss. mai.*

TABVLA II.

1.

Gaius Inst. IV 13 sq. 'Sacramenti actio generalis erat: *de* quibus enim rebus ut aliter ageretur lege cautum non erat, de h*is* sacramento agebat*ur* . . . . Poena autem sacramenti aut quingenaria erat aut quinquagenaria. *Nam* de rebus mille aeris plurisue quingentis assibus, de minoris *uero* quinquaginta assibus sacramento contendeb*atur:* nam *ita* lege XII tabularum cautum erat. *At si de libertate* hominis *contro*uersia erat, etsi pretiosissimus homo esset, tamen ut L assibus sacramento contendere*tur* ea*dem* lege cautum est fauoris *causa*, *ne sa*tis *da*tione *one*rarentur adsertores.' *Suppleuit Savignyius. Huschkius* 'ut eo facilius compararentur ads.'

2.

. . MORBVS SONTICVS . . . AVT STATVS DIES CVM HOSTE: — QVID HORVM FVIT VITIVM IVDICI ARBITROVE REOVE, EO DIES DIFFENSVS ESTO.

---

2. Gellius N. A. XX 1, 27 'Ceteroqui morbum uehementiorem, uim grauiter nocendi habentem, legum istarum scriptores alio in loco non per se morbum, sed morbum sonticum appellant.' Festus p. 290 M. 'Sonticum morbum in XII significare ait Aelius Stilo certum cum iusta causa, quem non nulli putant esse qui noceat, quod sontes significat nocentes.' cf. Id. p. 344 M. '(Sontica) causa dicitur a morbo (sontico propter quem (*immo* quam) quod est g)erendum, agere (desistimus).' Paul. p. 111 M. u. insons. Gloss. Labb. 'morbus sonticus *et* sonticus morbus ἱερὰ νόσος.' Iauolenus D. 50, 16, 113 'Morbus sonticus est qui cuique rei nocet.' D. 42, 1, 60 'Sonticus autem existimandus est, qui cuiusque rei agendae impedimento est.' Thomae Thes. nou. latin. p. 561 M. 'sonticus nociuus noxius.' Cicero de off. I 12, 37 'Hostis enim

---

2. si quid *Turnebus Adv. 17, 8. Scaliger O. Muellero.* fuat *Scal. prob. Muellero.* uitium *Cuiacius Obss. III c. 40:* unũ *cod. Festi.* uerum *Turn.* dies *Cuiacius:* die *cod.* defensus *Turn.* diffisus *Cuiac. ex Ulpiani testimonio.* diffinsus *Ursinus* diffunsus *Scal. ex scriptura quorundam Digest. codd. dett.* 'diffusum.' *Sed vid. O. Muellerus in Suppl. Ann. p. 401.*

3.

CVI TESTIMONIVM DEFVERIT, IS TERTIIS DIEBVS OB PORTVM OBVAGVLATVM ITO.

---

apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant duodecim tabulae 'aut — hoste.' Festus p. 314 M. 'Status dies (cum hoste) uocatur qui iudici causa est constitutus cum peregrino. Eius enim generis ab antiquis hostes appellabantur, quod erant pari iure cum populo Romano atque hostire ponebatur pro aequare.' cf. Placidi Gl. p. 436 M. u. agoniae . . 'Antiqui etiam peregrinos et pari iure uiuentes hostes dicebant.' Plautus Curc. I 1, 4 'si media nox est siue est prima uespera, Si status condictus cum hoste intercedit dies, Tamen est eundum.' cf. Gellius N. A. XVI 4, 4. D. 50, 16, 234 pr. Gaius l. II ad legem XII tabularum . . . 'Quos nos hostes appellamus, eos ueteres perduelles appellabant, per eam adiectionem indicantes, cum quibus bellum esset.' Festus p. 273 M. 'Reus nunc dicitur qui causam dicit, et item qui quid promisit spopondituе ac debet. At Gallus Aelius libro II significationum uerborum quae ad ius pertinent ait: 'reus est qui cum altero litem contestatam habet, siue is egit siue cum eo actum est' . . . . At Capito Ateius in eadem quidem opinione est, sed exemplo adiuuat interpretationem: Numa (Nam *Turnebus Adv. 17, 8*) in secunda tabula secunda lege (*fort. legendum:* in secunda tab. XII legis) [in qua] scriptum est: 'Quid . . .' Hic uterque actor reusque in iudicio rei uocantur.' D. 2, 11, 3 § 2. Vlpianus l. LXXIV ad edictum. 'Si quis iudicio se sisti promiserit et ualetudine uel tempestate uel ui fluminis prohibitus se sistere non possit, exceptione adiuuatur . . . et ideo etiam lex XII tabularum, si iudex uel alteruter ex litigatoribus morbo sontico impediatur, iubet diem iudicii esse diffissum.' cf. Dig. 42, 1, 60. Iulianus l. V Dig. 'Quaesitum est, cum alter ex litigatoribus febricitans discessisset et iudex absente eo pronuntiasset, an iure uideretur pronuntiasse. Respondit: morbus sonticus etiam inuitis litigatoribus ac iudice diem differt.'

3. Festus p. 233 M. 'Portum in XII pro domo positum omnes fere consentiunt 'cui . .' Id. p. 375 M. 'Vagulatio in l. XII (tabularum *Vat. 1. 2*) significat quaestionem (quostionem? *Mommsenus in Diar. antiq. scientiae 1844 p. 466*) cum conuitio: 'cui . .' Placidi Gl. p. 492 M. 'Portum domum uel ianuam, interdum petitum (*l.* porticum *cl.* Gl. VI p. 569 M. u. porta).'

---

3. cui *om. Vatic. 1549 p. 375.* defugerit *Vat. 2731 Ed. princ. Mediol. a. 1510.* defuerit defugerit *Vat. 1519 ib.* his *Festi cod. p. 233.* certis *Vat. duo, Ed. princ. p. 375.* pōtum *Victorianus ib.* obualgulationem *Ed. pr.*

TABVLA III.

1.

AERIS CONFESSI [REBVSQVE IVRE] IVDICATIS XXX DIES IVSTI SVNTO.

2. 3. 4.

POST DEINDE MANVS INIECTIO ESTO. IN IVS DVCITO.

NI IVDICATVM FACIT AVT QVIS ENDO EO IN IVRE VINDICIT, SECVM DVCITO. VINCITO AVT NERVO AVT COMPEDIBVS. XV PONDO NE MAIORE, AVT SI VOLET MINORE VINCITO.

III 1—4. Gellius N. A. XX 1, 42 sqq. 'Confessi igitur aeris ac debiti iudicatis triginta dies sunt dati conquirendae pecuniae causa quam dissoluerent, eosque dies decemuiri 'iustos' appellauerunt, uelut quoddam institium, id est iuris inter eos quasi interstitionem quandam et cessationem, quibus diebus nihil cum his agi iure posset. Post deinde nisi dissoluerent ad praetorem uocabantur et ab eo quibus erant iudicati addicebantur, neruo quoque aut compedibus uinciebantur. Sic enim sunt, opinor, uerba legis 'Aeris . .' Id. XV 13, 11 'Confessi autem aeris, de quo facta confessio est, in XII tabulis scriptum his uerbis: 'Aeris — sunto.' D. 42, 1, 7. Gaius ad Edictum praetoris urbani. 'Intra dies constitutos quamuis iudicati agi non possit, multis tamen modis iudicatum liberari posse bodie non dubitatur, quia constitutorum dierum spatium pro indicato, non contra iudicatum per legem constitutum est.' cf. D. 42, 1, 4 § 5. Gaius Inst. IV 21 'P(er) manus iniectionem aeque (de) his rebus agebatur, de quibus ut ita ageretur, lege aliqua (aqlia *cod.*) cautum est, uelut iudicati lege XII tabu-

---

1. iure om. *Gellius XV 13, 11.* reisque i. i. *Contius* debitique i. i. *Oiselius praeeunte Salmasio de modo usur. c. 18.* rebusque iure *ut alienum a lege seclusi.* iusti sunt *o XV 13, 11 Voss. mai.* iustis uno *Voss. min.* iusti sūpto *Reg. ib. Petav. SGerman. XX 1, 45.*
2. pede inde *Voss. min. Cuiacius Obss. III 39 ex antiquo et fideli exemplari (in Reg. et Voss. mai. §§ 39—53 desunt)* postidea *Scaliger ad Fest. v. neruum, Scioppius.* 3. quisendo *German.* quies sendo *v.* qui pseudo *v.* qui sero *dtt.* quips endo *Cuiac. l. l. ex suo cod. Scalig. l. l.* qui·locuples endo *Heineccius Syntagm. III 30, 4.* eo in *libri, Cuiac. l. l. (cf. Gell. XX 10, 7, 9.)*: eom *Hertzius* em *cum Salmasio plerique. om. Scalig.* in iure *delet Mommsenus Mus. rh. ph. XV 464.* uindicius (9) *Voss. min. ex corr.* neruo aut *om. idem.* maiore aut si uolet minore *Cuiacii liber:* minore aut si u. maiore *libri Gellii noti omnes, quod defendunt cum al. Niebuhrius H. R. II 311. Puchta Inst. II § 179 i. cf. tamen Boeckingius de mancipii causis p. 98. Huschkius de iure*

SI VOLET, SVO VIVITO. NI SVO VIVIT, [QVI EVM VINCTVM HABEBIT] LIBRAS FARRIS ENDO DIES DATO. SI VOLET, PLVS DATO.

5.

Gellius N. A. XX 1, 46 sq. 'Erat autem ius interea paciscendi, ac nisi pacti forent, habebantur in uinculis dies sexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad praetorem in comitium producebantur quantaeque pecuniae iudicati essent praedicabatur.'

6.

Gellius l. l. 47. 'Tertiis autem nundinis capite poenas dabant aut trans Tiberim peregre uenum ibant.'

---

larum, quae actio talis erat: qui agebat sic dicebat: 'quod tu mihi iudicatus siue damnatus es sestertium X milia, quae (a)d (h)oc non soluisti, ob eam rem ego tibi sestertium X milium iudicato manus (manum *Heffterus*) inicio'; et simul aliquam partem eius prendebat, nec licebat iudicato manum sibi depellere et pro se lege agere, sed uindicem dabat, qui pro se causam agere solebat: qui uindicem non dabat, domum ducebatur ab actore et uinciebatur.' cf. Dig. 50, 16, 234 § 1. Gaius l. II ad legem XII tabularum. 'Locuples est qui satis idonee habet pro magnitudine rei quam actor restituendam esse petit.' Festus p. 165 M. 'Neruum appellamus etiam ferreum uinculum quo pedes impediuntur.' cf. Liuius VIII 28, 8. (4.) D. 50, 16, 234 § 1. Gai. l. l. 'Verbum uiuere quidam putant ad cibum pertinere. Sed Ofilius ad Atticum ait his uerbis et uestimenta et stramenta contineri: sine his enim uiuere neminem posse.' cf. Terentius Phorm. II 2, 20 c. Donati comm.

5. Gaius Inst. III 78 'Bona autem ueneunt aut uiuorum aut mortuorum. Viuorum uelut eorum, qui fraudationis causa latitant ..... item iudicatorum post tempus, quod eis partim lege XII tabularum partim edicto praetoris ad expediendam pecuniam tribuitur.' cf. Dionys. Halic. VI 83 καὶ εἴ τινων ἤδη τὰ σώματα ὑπερημέρων ὄντων ταῖς νομίμοις προθεσμίαις κατέχεται, καὶ ταῦτα ἐλεύθερα εἶναι κρίνομεν.

6. Gellius N. A. XX 1, 48 'Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus, secare, si uellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt. Et quidem uerba ipsa legis dicam, ne existimes inuidiam me istam forte formidare: 'Tertiis, inquit, nundinis' . . . cf. ante

---

nexi p. 83 n. 100. 4. cum *libri:* em *plerique editores et interpretes.* qui — habebit *uncis saepsi.* farris endo *Gronovius:* ferri endo *Christ.* ferriendo *Petav. Germ. Magl.* feriendo *Voss. min. dtt.*

TERTIIS NVNDINIS PARTIS SECANTO. SI PLVS MINVSVE SECVERVNT, SE FRAVDE ESTO.

7.

ADVERSVS HOSTEM AETERNA AVCTORITAS *esto.*

TABVLA IV.

1.

Cicero de leg. III 8, 19 'cuius (sc. tribunatus) primum ortum si recordari uolumus, inter arma ciuium et occupatis et obsessis urbis locis procreatum uidimus. Deinde cum esset cito ablegatus tamquam ex XII tabulis insignis ad deformitatem puer breui tempore nescio quo pacto recreatus multoque taetrior et foedior renatus est' (ablĕgatus *Auratus:* legatus *codd.* necatus *Puteanus* letatus *Gruterus* leto datus *Orellius*).

---

§ 19. Quiuctiliauus III 6, 84 'Sunt cnim quaedam uou laudabilia uou natura, sed iure coucessa, ut iu XII tabulis debitoris corpus inter creditores diuidi licuit, quam legem mos publicus repudiauit.' Tertulliauus Apol. 4 'Sed et iudicatos in partes secari a creditoribus leges erant: conseusu tamen publico crudelitas postea erasa.est, (et) iu pudoris notam capitis poeua conuersa est: bouorum adhibita proscriptio suffundere maluit homiuis sauguiuem quam effuuderc.' Dio Cass. fr. XII (A. Mai Script. uet. uou. coll. II p. 144) ἄλλα τε καὶ πολλὰ κατὰ τῶν ὑπερημέρων αὐτοῖς ἐδίδοτο, καὶ εἰ δή τινες (l. τινι) πλείους δεδανεικότες ἔτυχον, κρεουργηδὸν αὐτοῦ τὸ σῶμα πρὸς τὸ μέρος ὧν ὤφειλεν ἐξουσίαν εἶχον κατανέμεσθαι· καὶ τοῦτο μὲν εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἐνενόμιστο, ἀλλ' οὔ τί γε καὶ ἔργῳ ποτὲ ἐγεγόνει κτλ.

7. Cicero de off. I 12, 37 'Hostis euim apud maiores nostros is dicebatur quem uuuc peregrinum dicimus. Iudicaut duodecim tabulae: [II 2], itemque: 'Aduersus' . . . cf. Varro de L. L. V 3.

1. cf. Dionys. Hal. II 15 πρῶτον μὲν εἰς ἀνάγκην κατέστησε (sc. ὁ Ῥωμύλος) τοὺς οἰκήτορας αὐτῆς ἅπασαν ἄρρενα γενεὰν ἐκτρέφειν καὶ θυγατέρων τὰς πρωτογόνους· ἀποκτινύναι δὲ μηδὲν τῶν γενομένων νεώτερον τριετοῦς, πλὴν εἴ τι γένοιτο παιδίον ἀνάπηρον ἢ τέρας εὐθὺς ἀπὸ γονῆς. ταῦτα δ' οὐκ ἐκώλυσεν ἐκτιθέναι τοὺς γειναμένους, ἐπι-

---

6. terciis *Voss. min. Petav.* partissecanto *German.* partis (s. ptis) secando *dtt. aliquot libri.* p. secunto *Huschkius l. l. p. 88 n. 110.*
7. esto *addidi.*

2. (3.)

SI PATER FILIVM TER VENVM DVVIT FILIVS A PATRE LIBER ESTO.

3.

Cicero Philipp. II 28, 69. 'Illam suam suas res sibi habere iussit: ex duodecim tabulis claues ademit, exegit. quam porro spectatus ciuis, quam probatus! cuius ex omni uita nihil est honestius quam quod cum mima fecit diuortium' (id. ap. Nonium p. 290 u. exigere).

δείξαντας πρότερον πέντε ἀνδράσι τοῖς ἔγγιστα οἰκοῦσι, ἐὰν κἀκείνοις συνδοκῇ.

2. Vlpianus fr. t. X 1 'Liberi parentum potestate liberantur emancipatione, id est, si posteaquam mancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus sui iuris fit; id enim lex duodecim tabularum iubet his uerbis: 'si . . .' Gaius Inst. I 132 'Emancipatione (quoque desinunt liberi in pote)state pare(ntium esse. sed) filius quidem ter(tia demum mancipatione, ceteri) uero liberi siue masculini sexus siue feminini una mancipatione exeunt de parentium potestate: lex enim XII tantum in persona filii de tribus mancipationibus loquitur (his) uerbis: 'si . . .' Dion. Hal. II 27 καὶ ὃ πάντων μάλιστα θαυμάσειεν ἄν τις — καὶ τοῦτο συνεχώρησε τῷ πατρὶ (sc. ὁ Ῥωμύλος) μέχρι τρίτης πράσεως ἀφ' υἱοῦ χρηματίσασθαι, μείζονα δοὺς ἐξουσίαν πατρὶ κατὰ παιδὸς ἢ δεσπότῃ κατὰ δούλου. — — — τοῦτον τὸν νόμον ἐν ἀρχαῖς μὲν οἱ βασιλεῖς ἐφύλαττον εἴτε γεγραμμένον εἴτε ἄγραφον· οὐ γὰρ ἔχω τὸ σαφὲς εἰπεῖν· ἁπάντων κράτιστον ἡγούμενοι νόμον. καταλυθείσης δὲ τῆς μοναρχίας ὅτε πρῶτον ἐφάνη Ῥωμαίοις πάντας τοὺς πατρίους ἐθισμούς τε καὶ νόμους ἅμα τοῖς ἐπεισάκτοις ἐν ἀγορᾷ θεῖναι φανεροὺς ἅπασι τοῖς πολίταις, ἵνα μὴ συμμεταπίπτῃ τὰ κοινὰ δίκαια ταῖς τῶν ἀρχόντων ἐξουσίαις, οἱ λαβόντες παρὰ τοῦ δήμου τὴν ἐξουσίαν τῆς συναγωγῆς τε καὶ ἐπιγραφῆς αὐτῶν δέκα ἄνδρες ἅμα τοῖς ἄλλοις ἀνέγραψαν νόμοις. καὶ ἔστιν ἐν τῇ τετάρτῃ τῶν λεγομένων δώδεκα δέλτων ἃς ἀνέθησαν ἐν ἀγορᾷ κτλ. Gaius Inst. IV 79 'Cum autem filius familias ex noxali causa mancipio datur, diuersae scholae auctores putant ter eum mancipio dari debere, quia lege XII tabularum cautum sit (ne filius de potestate patris aliter) exeat quam si ter fu(er)it mancipatus' e. q. s. cf. Iust. Inst. I 12, 6. Gai. epit. 1, 6 § 3.

---

2. uenum duuit *Cuiacius not. ad Ulp. l. l., Huschkius:* uenundauit *Ulp. cod. Vat.* uenundabit *Turnebus Adv. 7, 21. 13, 26 probante Lachmanno in Ann. scient. iur. hist. IX 198 Boeckingio Vahleno ad Ulp. l.* uenumduit *al.* esto] ē *Vat.* ter — patre *om. Gai liber.*

4.

Gellius N. A. III 16, 12. 'Praeterea ego de partu humano praeterquam quae scripta in libris legi hoc quoque usu uenisse Romae comperi: feminam bonis atque honestis moribus, non ambigua pudicitia in undecimo mense post mariti mortem peperisse factumque esse negotium, quasi marito mortuo postea concepisset, quoniam decemuiri in decem mensibus gigni hominem, non in undecimo scripsissent.'

Vlpianus l. XIV ad Sabinum. Dig. 38, 16, 3 § 9. 'Vtique et ex lege duodecim tabularum ad legitimam hereditatem is, qui in utero fuit, admittitur, si fuerit editus . . . § 11. Post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam hereditatem.'

TABVLA V.

1.

Gaius Inst. I 144 sq. 'Veteres enim uoluerunt feminas, etiamsi perfectae aetatis sint, propter animi leuitatem in tutela esse . . . . loquimur autem exceptis uirginibus Vestalibus, quas etiam ueteres in honorem sacerdotii liberas esse uoluerunt: itaque etiam lege XII tabularum cautum est.'

2.

Gaius Inst. II 47. 'Item mulieris quae in agnatorum tutela erat res mancipi usucapi non poterant praeterquam si ab ipsa tutore *auctore* traditae essent: id (et *Boeckingius;* nam *Huschkius*) ita lege XII tabularum *cautum erat.*'

---

4. cf. Gaius l. III ad legem XII tabularum. Dig. 48, 6, 43 (ad l. Iuliam de adult.) 'Si ex lege repudium missum non sit et idcirco mulier adhuc nupta esse uideatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit . . . . idque dicendum, ne is qui sciret eam ex lege repudiatam non esse dolo malo committat.'

V 1. Gellius I 12, 18 'Praeterea in commentariis Labeonis quae ad duodecim tabulas composuit ita scriptum est: Virgo Vestalis neque heres est cuiquam intestato neque intestatae quisquam, sed bona eius in publicum redigi aiunt.'

2. Gaius Inst. I 157 'Sed olim quidem quantum ad legem XII tabularum attinet, etiam feminae agnatos habebant tutores.'

3.

VTI LEGASSIT SVPER PECVNIA TVTELAVE SVAE REI, ITA IVS ESTO.

---

3. Vlpian. fr. XI 14 'Testamento quoque nominatim tutores dati confirmantur eadem lege duodecim tabularum his uerbis 'uti . . .' Gaius Inst. II 224 'Sed olim quidem licebat totum patrimonium legatis atque libertatibus erogare nec quicquam heredi relinquere praeter quam inane nomen heredis; idque lex XII tabularum permittere uidebatur, qua cauetur ut quod quisque de re sua testatus esset, id ratum haberetur, his uerbis: 'uti . . .' Iust. Inst. II 22 pr. 'Cum enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi potestas, ut liceret uel totum patrimonium legatis erogare: quippe ea lege ita cautum est 'uti . . .' Pompon. l. V ad Q. Mucium. Dig. 50, 16, 120 'Verbis legis duodecim tabularum his 'uti . . . latissima potestas tributa uidetur et heredis instituendi et legata et libertatis dandi, tutelas quoque constituendi' e. q. s. Novell. Iust. 22, 2 pr. νομοθετείτω μὲν γὰρ ἕκαστος ἐπὶ τοῖς αὑτοῦ τὰ εἰκότα, καὶ ἔστω νόμος ἡ τούτου βουλή, καθάπερ καὶ ὁ παλαιότατος ἡμῖν τῶν νόμων καὶ πρῶτος σχεδόν τὴν πολιτείαν Ῥωμαίοις διατάξας φησὶ (φαμὲν δὲ τόν δυοδεκάδελτον) κατὰ τὴν ἀρχαίαν καὶ πάτριον γλῶτταν οὑτωσί που λέγων 'uti . . .' Rhet. ad Herenn. I 13, 23 'Ex ratiocinatione controuorsia constat, cum res sine propria lege uenit in iudicium, quae tamen ab aliis legibus similitudine quadam occupatur. Ea est huius modi: Lex [est] . . . . et lex: 'Paterfamilias uti . . .' (Eadem ap. Cic. de Inu. II 50, 148 'Ex ratiocinatione nascitur controuersia, cum ex eo quod uspiam est, ad id quod nusquam scriptum est uenitur hoc pacto: Lex . . . et lex: 'Paterfamilias uti . .') Paulus l. LIX ad Edictum. Dig. 50, 16, 53 pr. 'Saepe ita comparatum est, ut coniuncta pro disiunctis accipiantur et disiuncta pro coniunctis, inter-

---

3. Vti legassit *Ulpianus*, *Gaius*, *Pomponius*, *Inst. codd. opt.:* uti quis l. *s.* quis uti leg. *s.* uti leg. quis *s.* uti quisque leg. *Inst. libri dtt.* (legasset *plerique*) uti leg. quisque *Novell.* Paterfamilias uti — legassit (*ita Cic. Paris. pr.*) *s.* legasset (*Trossianus Par.*[2]) *s.* legauerit (*Turic. Bamb. cum codd. Rhet.*) *ceteris interpositis Cicero et Rhetor.* super pecuniā tutelabae suae rei *Ulp. cod.:* super pecuniae tutelaeue suae *Paulus quod defendit Cuiac. in adnot. et Huschkius Mus. rhen. iur. VII p. 67 cl. Ruddimanni Gramm. lat. inst. II 335 Stallb. de super c. genet.* super familia pecuniaue sua *Rhet. et Cic.* suae rei (de re sua *Nov.*) *omissis ctt. Gaius Pomponius Inst. Nov. probante cum al. Schradero ad Inst. l. l.* s. p. t. suaue re *Hugo H. I. p. 166 (ed. 8).* s. p. t. sua *Noodt Obss. II 19.* super familia pecuuia tutelaue suae rei *post alios ap. Merulam Huschkius l. l. 59 sqq. in verba Ulpiani recepit Boeckingius obloquente Huschkio ipso in ed. Ulp.* suae rei *datirum recte explicat Schillingius in obss. de hist. iur. rom. p. 97.*

4.

SI INTESTATO MORITVR, CVI SVVS HERES NEC ESCIT, ADGNATVS PROXIMVS FAMILIAM HABETO.

---

dum soluta pro separatis. Nam . . . At cum dicitur 'super pecuniae tutelaeue suae', tutor separatim sine pecunia dari non potest.' Gaius l. VI ad Ed. prou. D. 5, 3, 1 'Hereditas ad nos pertinet aut uetere iure aut nouo. Vetere o lege XII tabularum uel ex testamento quod iure factum est.' cf. ib. 3. Vlp. l. II ad leg. Iul. et Pap. ib. 130 'Lege obuenire hereditatem non improprie quis dixerit et eam, quae ex testamento defertur: quia lege XII tabularum testamentariae hereditates confirmantur.' Id. fr. XIX 17 'Lege nobis adquiritur uelut caducum uel erepticium (ereptorium *Huschkius*) ex lege Papia Poppaea, item legatum ex lege XII tabularum sine mancipi res sint siue nec mancipi. Id. fr. I 9 'Vt testamento manumissi liberi sint, lex duodecim tabularum facit, quae confirmat (testamento datas libertates his uerbis 'uti . . .)' *suppl. Huschk.* Paulus l. IX ad Plautium Dig. 50, 16, 80. Gaius l. XII ad Ed. prou. D. 26, 2, 1 'Lege XII tabularum permissum est parentibus liberis suis siue feminini siue masculini sexus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare.' Paulus l. XXXVIII ad Ed. 20 § 1 ib. 'Testamento quemlibet possumus tutorem dare siue is praetor siue consul sit: quia lex XII tabularum id confirmat.' cf. Vlp. D. 10, 2, 2 pr. 38, 14 § 2. ib. 6 pr. Gaius Inst. II 104. Quintil. III 6, 95.

4. Vlpian. fr. XXVI 1 (et in Coll. Mos. et Rom. l. XVI 4, 1) 'Intestatorum ingenuorum (gentilitiorum *Coll.*) hereditates pertinent primum ad suos heredes, id est, liberos, qui in potestate sunt, ceterosque, qui in liberorum loco sunt: si sui heredes non sunt, ad consanguineos, id est, fratres et sorores ex eodem patre: si nec hi sunt, ad reliquos agnatos proximos, id est cognatos (prox. — cogn. *om. Coll.*) uirilis sexus per mares descendentes eiusdem familiae: id enim cautum est lege duodecim tabularum hac: 'si . . .' (ac si *Ed. Ulp. princ. Cuiac.* at si *v.* ast si *Contius al. Boeckingius ed. 4. cui antea* hac *ex* hm̄ = hoc modo *v.* h us = his verbis *corruptum videbatur*). Rhet. ad Herenn. I

---

4. intestatus *Coll. codd. Rhet. ad Her. codd. dtt.* cui suus *Ulpiani cod. Vatic.:* cuius *Coll. l. l. de reflexivi usu cf. Cato r. r. 7. 28. 31. 37. 157 al. apud Holtzium Synt. prisc. script. lat. I p. 364.* escit *Cuiac. Obss. VII 18:* est *codd. Coll. om. Ulp. Vaticanus spatio relicto* esit *O. Muellerus ad Collat. edit. Blumianam p. 142. 164 (sed cf. eiusdem scripta min. I p. 377)* sit *Hauboldum secutus Hugo* extabit *Ed. princ. Ulp. Cuiacius in not.* familiae *cod. Vat.* familia *Berol. Coll.* habeatur *codd. Coll. Apud Rhet. et Cic. haec aliquanto mutata cum sq. fragm. coaluerunt:* 'Si paterfamilias int. mor. familia pecuniaque eius agnatum gentiliumque ('que' *om. in opt. codd. Rhet.*) esto.'

5.

SI ADGNATVS NEC ESCIT, GENTILES FAMILIAM HABENTO.

13, 21. Cicero de Inu. II 50, 148 et lex 'si . . .' Paulus l. I ad Sabinum Dig. 28, 2, 9 § 2 'Sed et si heres institutus omiserit hereditatem, erit legitimus heres, quoniam haec uerba 'si intestato moritur' ad id tempus referuntur, quo testamentum destituitur, non quo moritur.' Vlp. l. XLVI ad Ed. Dig. 50, 16, 195 § 1 'Familiae appellatio qualiter accipiatur uideamus. Et quidem uarie accepta est: nam et in res et in personas deducitur. In res ut puta in lege XII tabularum his uerbis 'adgnatus . . .' Theophil. Paraphr. I 1, 17 ἀλλ᾽ ἐροῦμεν ὡς εἰ μὴ σαφῶς τοῖς ῥήμασι τοῦ νόμου περὶ αὐτῶν διηγόρευται, ἀλλ᾽ οὖν ἐκ τῆς ἐννοίας τοῦ δωδεκαδέλτου ἔστι τοῦτο λαβεῖν· φησὶ γὰρ ἔν τινι μέρει τῆς οἰκείας νομοθεσίας· ἐάν τις ἄπαις καὶ ἀδιάθετος τελευτήσῃ, οἱ ἀδνάτοι παραγενέσθωσαν ἐπὶ τὴν τούτου κληρονομίαν. Gaius Inst. III (1) 9 sqq. et in Coll. Mos. et Rom. l. XVI 2, 1, 9 sqq. 'Intestatorum hereditates lege XII tabularum primum ad suos heredes pertinent. Si nullus sit suorum heredum, tunc hereditas pertinet ex eadem lege XII tabularum ad adgnatos . . . Non tamen omnibus simul adgnatis dat lex XII tabularum hereditatem, sed his qui tunc cum certum est aliquem intestato decessisse proximo gradu sunt.' Paulus l. Sent. IV 8 in Coll. XVI 3, 3 'Intestatorum hereditas lege duodecim tabularum primum suis heredibus, deinde agnatis et aliquando quoque gentilibus deferebatur. Sane consanguineos lex non adprehenderat: (at) interpretatione prudentium primum inter agnatos locum acceperunt. Ceterum lex duodecim tabularum sine ulla discretione sexus agnatos admittit.' Pompon. l. II ad Sab. Dig. 50, 16, 162 pr. 'In uulgari substitutione, qua ei, qui supremus moritur, heres substituitur, recte substitutus etiam unico (unicus?) intellegitur, exemplo duodecim tabularum, ex quibus proximus agnatus et solus habetur.' Inst. Inst. 3, 1, 1. 2 pr. § 3. § 5 'Si plures sint gradus agnatorum, aperte lex XII tabularum proximum uocat . . . Et quamuis singulari numero usa lex proximum uocet, tamen dubium non est, quin et si plures sint eiusdem gradus omnes admittantur.' cf. § 7. 3, 3 pr. Theophilus Paraphr. 2, 19 § 2. 3, 2 § 5 ἐτελεύτησέ τις ἀδιάθετος πολλῶν ὑπόντων ἀδνάτων διαφόρου βαθμοῦ· ὁ δωδεκάδελτος τὸν ἐγγύτερον καλεῖ. — Callistratus l. II Quaestt. D. 50, 16, 220 'Liberorum appellatione nepotes et pronepotes ceterique qui ex his descendunt, continentur: hos enim omnes 'suorum' appellatione lex XII tabularum comprehendit.' cf. Vlpianus fr. XXVI 7. 8. XXVII 5. Cod. 6, 55, 3. 4. 58, 14. 15. C. Theod. IX 42, 9. Inst. 3, 1 § 9. 15. 5 § 1. 5.

5. Coll. Mos. et Rom. ll. XVI 4, 2 (Vlpianus l. singul. regul.) 'Si agnatus defuncti non sit, eadem lex duodecim tabularum gentiles ad hereditatem uocat his uerbis 'si . . .' Gaius Inst. III 17 (ld. Coll. XVI

5. si agnatus *P. Pithoeus et Scaliger:* si gnatus *cod. Coll. Berol.* sic natus *Vind.* nec escit *Cuiacius l. l.:* nescit (*ex* n' escit) *codd.* nec essit *ed. Par. a. 1586* nec esit *Freherus parerg. I 9 O. Muellerus*

6.

Gaius Inst. I 155 (Iust. Inst. 1, 15 pr.). 'Quibus testamento quidem tutor datus non sit, iis ex lege XII agnati sunt tutores qui uocantur legitimi.'

7.

SI FVRIOSVS ESCIT, AST EI CVSTOS NEC ESCIT, ADGNATVM GENTILIVMQVE IN EO PECVNIAQVE EIVS POTESTAS ESTO.

2, 17) 'Si nullus agnatus sit, cadem lex XII tabularum gentiles ad hereditatem uocat' c. q. s. cf. Paulus Sent. IV 8 in Coll. XVI 3, 3. Rhet. ad Herenn. et Cicero cit. ad fr. IV.

6. Vlpianus fr. XI 3 'Legitimi tutores sunt, qui ex lege aliqua descendunt: per eminentiam autem legitimi dicuntur, qui ex lege XII tabularum introducuntur, sen propalam, quales sunt agnati, seu por consequentiam, quales sunt patroni.' Id. l. XIV ad Sab. D. 26, 4, 1 'Legitimae tutelae lege XII tabularum agnatis delatae sunt et consanguineis, item patronis, id est his, qui ad legitimam hereditatem admitti possint.' cf. 5, 6 ib. Inst. Inst. 1, 15 § 2. 1, 17. (Theoph. καὶ πάλιν ἐν ἑτέρῳ μέρει φηςίν· ἐάν τις δεῖται ἐπιτροπῆς, οἱ ἀδνάτοι ἐπιτροπεύουςιν.) cf. D. 4, 5, 7 pr. C. 5, 30, 1. Gai. Inst. I 157 cit. ad fr. 2.

7. Rhet. ad Herenn. I 13, 23 et Cicero de Inu. II 50, 148 Lex: 'si . .' Cic. Tusc. disp. III 5, 11 'Qui ita sit adfectus, cum dominum

---

l. l. nec sit *Pithoeus et Scaliger.* gentiles familiam habento *Roeverus Spec. ad loca quaed. iur. civ. deprav. c. 8 extr. cf. Schillingius Diss. crit. de Ulp. frgm. 83 sqq.:* gentiles familiam (familias *Vind.*) heres hanc *codd. Coll. vitio ex notarum similitudine* (h· = 'habet' *et* 'heres', *cf. Not. Papianae et Einsidl. p. 320. sim. Not. Lugdun. p. 278 Momms.) explicando* gentilis familiam habeto (Nunc) *Cuiacius* g. f. habeant *P. Pithoeus* g. f. heredes habeant *Hauboldus* g. f. herciscunto *Lipsius* (herciscant *Oiselius ap. Pith.*) g. f. herescant *Huschkius in stud. iur. Rom. 156 et Mus. rh. iur. VI 280* g. hereditatem habento *Charondas prob. Cosmano p. 9.* gentilis fam. nancitor *Freherus (coll. Fest. p. 166 M.) prob. Gothofredo Dirkseno. Schultingius ad Ulp. XXVI not. 13* 'heres' *post* 'escit' *ponit.* 7. escit *Bouherius ad Tusc. l. l.:* esset *Nonius (cf. Tab. X fr. 9).* erit *codd. de Inv.* esse incipit *Ciceronis Tusc. codd. Gud. Reg. Brux.* existet (existat *dtt.*) *codd. Rhet. ad Herenn.* ast — eselt *ex Festo hic inserui cum Marcilio al.* adgnatum *Rhetoris cod. Paris. Herbipol.:* agnatum *al. libri Cic. Bamb. Paris. Tur.* agnatorum *dtt.* adgnatorum *Paulus D. 50, 16, 53.* gentiliumquae — pecuniaquae *Rhet. Herbipol. Erfurt. Paris. 2.*

8.

Vlpianus fr. XXIX 1. 'Ciuis Romani liberti hereditatem lex duodecim tabularum patrono defert, si intestato sine suo herede libertus decesserit' e. q. s.

. . . EX EA FAMILIA IN EAM FAMILIAM . . .

---

esse rerum suarum uetant duodecim tabulae; itaque non est scriptum 'si insanus', sed 'si furiosus esse incipit' (id. cit. Nonius p. 443). Festus p. 162 M. 'Nec coniunctionem grammatici fere dicunt esse disiunctiuam, ut 'nec legit nec scribit'; cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intellegi possit eam positam esse ab antiquis pro non, ut et in XII est: 'ast — escit.' Paulus l. LIX ad Ed. D. 50, 16, 53 pr. 'Nam cum dicitur apud ueteres 'adgnatorum gentiliumque', pro separatione accipitur.' Cicero de rep. III 33, 45 'Nec uero conueuit, cum furiosorum bona legibus in adgnatorum potestate sint, quod eorum iam' . . . . Vlp. fr. XII 2 'Lex XII tabularum furiosum itemque prodigum, cui bonis interdictum est, in curatione iubet esse agnatorum.' Iust. Inst. 1, 23 § 3 'Furiosi quoque et prodigi licet maiores uigintiquinque annis sint, tamen in curatione sunt agnatorum ex lege XII tabularum.' Vlp. l. I ad Sab. D. 27, 10, 1 'Lego XII tabularum prodigo interdicitur bonorum suorum administratio: quod moribus quidem ab initio introductum est.' ib. 13. D. 26, 1, 3 pr. cf. D. 28, 1, 18. 29, 2, 5 § 1. Gai. Inst. II 64 'Ex diuerso agnatus furiosi curator res furiosi alienare potest ex lege XII tabularum.' Varro de r. r. I 2, 8 'Duo inprimis spectasse uidentur Italici homines colendo possentne fructus pro impensa ac labore redire et utrum saluber locus esset an non: quorum si alterutrum decollat et nihilominus quis uult colere, mente est captus atque ad agnatos et gentiles est deducendus.' id. Columella de r. r. I 3, 1 *(errore Catonem antestatus)*. Horatius Sat. II 3, 218 'interdicto huic omne adimat ius Praetor et ad sanos abeat tutela propinquos.'

8. Vlpianus l. XLVI ad ed. D. 50, 16, 195 § 1 'Ad personas autem refertur familiae significatio ita, cum de patrono et liberto loquitur lex 'ex ea familia', inquit, 'in eam familiam.' et hic de singularibus personis legem loqui constat.' Coll. ll. XVI 8, 2. Vlpianus de suis (et legitimis) heredibus. 'Ceterum si libertinus est uel libertina, patrono eius legitima hereditas patronaeue lege duodecim tabularum defertur. ib. 9, 2 'Quodsi is qui decessit liber fuit ex (absque *Schultingius*) remancipatione manumissus, lex quidem duodecim tabularum manumissori legitimam hereditatem detulit.' Gaius Inst. III 40 (id. Iust. Inst. 3, 7 pr.) 'Nam ita domum lex XII tabularum ad hereditatem liberti uocabat pa-

---

8. 'ea familia in eam familiam ius habeto' *s.* 'ex ea f. proximo in eam f. ius esto' *suppl. Huschkius Mus. rh. iur. VII 64 n. 12.*

9.

Cod. 3, 36, 6. Imp. Gordianus A. Pomponio militi. 'Ea quae in nominibus sunt non recipiunt diuisionem, cum ipso iure in portiones hereditarias ex lege duodecim tabularum diuisa sunt.'

*10.

Gaius l. VII ad ed. prou. Dig. 10, 2 (Familiae erciscundae), 1 pr. 'Haec actio proficiscitur e lege duodecim

tronum, si intestatus mortuus esset libertus nullo suo herede relicto' e. q. s. cf. 46. 49. 51. Iust. Inst. 1, 17 (Gaius Inst. I 165) 'Ex eadem lege XII tabularum libertorum et libertarum tutela ad patronos liberosque eorum pertinet, quae et ipsa legitima tutela uocatur . . . . . eo enim ipso quod hereditates libertorum libertarumque, si intestati decessisseut, iusserat lex ad patronos liberosue eorum pertinere, crediderunt ueteres uoluisse legem etiam tutelas ad eos pertinere' e. q. s. Vlpianus Dig. 26, 4, 3 pr. § 1. Theophilus Par. l. l. ταῦτα περὶ εὐγενῶν· ἐλθὼν δὲ εἰς τοὺς ἀπελευθέρους εἶπεν (sc. ὁ δυωδεκάδελτος)· ἐὰν ἀπελεύθερος ἢ ἀπελευθέρα ἄπαιδες καὶ ἀδιάθετοι τελευτήσωσιν, τὴν τούτων κληρονομίαν οἱ πάτρωνες, ἤγουν οἱ παῖδες τῶν πατρώνων διαδέχονται. Fragm. Vaticana § 308 'et sicut in XII tabulis patroni appellatione etiam liberi patroni continentur, ita et in hac lege.' cf. Vlpianus fr. XI 3. XXIX 6. Dig. 26, 4, 1. 5 pr. 37, 14, 11. 17 pr.

9. Paulus l. XXIII ad Ed. Dig. 10, 2, 25 § 9 'An ea stipulatio, qua singuli heredes in solidum habent actionem ueniat in hoc iudicium dubitatur . . . . quia talis stipulatio per legem XII tabularum non diuiditur, quia nec potest. § 13 Idem iuris est in pecunia promissa a testatore, si sub poena promissa sit: nam licet haec obligatio diuidatur per legem XII tabularum, tamen, quia nihilum prodest ad poenam euitandam partem suam soluere, siue uondum soluta est pecunia, nec dies uenit, prospiciendum est per cautionem . . . . . . siue etiam soluit unus uniuersam pecuniam, quam defunctus promisit ne poena committeretur, familiae erciscundae iudicio a coheredibus partes recipere poterit.' C. 2, 3, 26 'Pactum successorum debitoris ex lege duodecim tabularum aes alienum hereditarium pro portionibus quaesitis singulis ipso iure diuisum in solidum unum obligare creditori non potest.' C. 4, 16, 7 'Creditores hereditarios aduersus legatarios non habere personalem actionem conuenit, quippe cum euidentissime lex duodecim tabularum heredes huic rei faciat obnoxios.' C. 8, 32 [31], 1 'Manifesti et indubitati iuris est defuncto creditore multis relictis heredibus actionem quidem personalem inter eos ex lege duodecim tabularum diuidi, pignus uero in solidum unicuique teneri.' C. 8, 36 [35], 1 'Debitores quidem hereditarii unicuique heredum pro portione hereditaria antiqua lege obligati sunt.'

10. cf. Paulus Exc. ex Festo p. 82 M. 'Erctum citum[que] fit inter consortes, ut in libris legum Romanorum legitur. erctum a coercendo

tabularum: namque coheredibus uolentibus a communione discedere necessarium uidebatur aliquam actionem constitui qua inter eos res hereditariae distribuerentur.'

TABVLA VI.

1. 2.

CVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE, VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO.

Cicero de off. III 16, 65. 'Nam cum ex duodecim tabulis satis esset ea praestari quae essent lingua nuncupata, quae qui infitiatus esset, dupli poenam subiret, a iurisconsultis etiam reticentiae poena est constituta.'

---

dictum: unde et erciscendae et ercisci. citum autem est uocatum a ciendo.' Gellius N. A. I 9, 12 'tamquam illud fuit anticum consortium, quod iure atque uerbo romano appellabatur 'ercto non cito.' Donatus ap. Seruium ad Aen. VIII 642 'citae diuisae ut est in iure: 'ercto non cito.' *Quae tamen rectius ad legis actionem referuntur. cf. Cic. de or. I 56, 237. Omnino familiae erciscundae in XII diserta mentio extitisse non uidetur.*

1. Festus p. 173 M. 'Nuncupata pecunia est, ut ait Cincius in l. II de officio iurisconsulti, nominata, certa, nominibus propriis pronuntiata: 'cum . . . . id est, uti nominarit locutusue erit, ita ius esto.' Cic. de or. I 57, 245 'lapides mehercule omnes flere ac lamentari coegisset, ut totum illud 'uti lingua nuncupassit' non in duodecim tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum uideretur.' cf. Varro de L. L. VI 60 'Nuncupare nominare ualere apparet in legibus, ubi nuncupatae pecuniae sunt scriptae.' Gai. Inst. II 104. Id. l. III ad l. XII tabularum. Dig. 2, 14, 48 'In traditionibus rerum quodcunque pactum sit, id ualere manifestissimum est.' (*de quo vid. Gothofredus in Not. brev.*) Boethius ad Cic. Top. III p. 322 Or. 'Nexus uero est quaedam iuris sollemnitas . . . . Quaecunque igitur res lege XII tabularum aliter nisi per hanc sollemnitatem abalienari non poterat.' Fragm. Vatic. § 50 'quia et mancipationem et in iure cessionem lex XII tabularum confirmat.'

---

1. nuncupassit *Manutius:* nuncupasset *Festi cod. et Ciceronis libri.* esto *Festi cod.*

3.

Cicero Top. IV 23. 'quoniam usus auctoritas fundi biennium est, sit etiam aedium: at in lege aedes non appellantur, et sunt ceterarum rerum omnium, quarum annuus est usus.'

4.

Gaius Inst. I 111. 'Vsu in manum conueniebat, quae anno continuo nupta perseuerabat; quae enim uelut annua possessione usu capiebatur, in familiam uiri transibat filiaeque locum optinebat. Itaque lege duodecim tabularum cautum *erat*, si qua nollet eo modo in manum mariti conue*nire*, *ut quotan*nis trinoctio abesset atqu*e ita usum* cuiusque anni interrumperet.'

5.

SI [QVI] IN IVRE MANVM CONSERVNT

---

3. Cicero p. Caecina 19, 54 'Lex usum et auctoritatem fundi iubet esse biennium: at utimur eodem iure in aedibus, quae in lege non appellantur.' Gai. Inst. II 42 '(Vsucapio autem) mobilium quidem rerum anno completur, fundi uero et aedium biennio; et ita lege XII tabularum cautum est.' 54. 'lex enim XII tabularum soli quidem res biennio usucapi iussit, ceteras uero anno.' cf. 44. Theophil. Par. ad Inst. 2, 6 pr. Modestinus Dig. 43, 3, 3. Vlp. fr. XIX 8. Isidorus Or. V 25, 30.

4. Gellius N. A. III 2, 12 sq. et inde Macrobius Sat. I 3, 9 'Q. quoque Mucium iureconsultum dicere solitum legi (lege *Macr.*) non esse usurpatam ('legi lege non isse usurpatum' *ex Macrobii Parisino Regio Pontanus; cf. Erbius in Hugonis Promptuario iur. civ. V 213 n.*) mulierem quae cum Kalendis Ianuariis apud uirum matrimonii causa esse coepisset ante diem IIII Kalendas Ianuarias sequentes usurpatum isset: non enim posse impleri trinoctium quod abesse a uiro usurpandi causa ex duodecim tabulis deberet, quoniam tertiae noctis posteriores sex horae alterius anni essent, qui inciperet ex Kalendis.'

5. Gell. N. A. XX 10, 7 sq. 'Nam de qua re disceptatur in iure (in re) praesenti, siue ager siue quid aliud est, cum aduersario simul manu prendere et in ea re sollemnibus uerbis uindicare, id est 'uindicia.' Correptio manus in re atque in loco praesenti apud praetorem ex duodecim tabulis fiebat, in quibus ita scriptum est: 'si . . .' cf. Fragm. Vat. § 50 cit. ad 1. *Scaliger ad Fest. v. superstites.*

---

5. qui *Paris. 8666 Lugud. (Gall.) 95*] cui *German. Magliab. cod. Sozomeni in bibl. Par. la Vall. 110 Lugud. pr. (meliores libri deficiunt in § 6 extr.) Cancellos addidi.*

6.

Liuius III 44, 12. 'postulant ut rem integram in patris aduentum differat (sc. Appius Claudius), lege ab ipso lata uindicias det secundum libertatem.'

7. 8. 9.

TIGNVM IVNCTVM AEDIBVS VINEAVE E CONCAPI NE SOLVITO.

---

6. Dion. Hal. XI 30 οὐδὲν ἀξιῶν οὔτε ξένιον οὔτε ὃ μὴ τοῖς ἄλλοις ἐπιδίδοται Ῥωμαίοις δίκαιον, εἰ καὶ μὴ πᾶσιν ἀνθρώποις, σώματος εἰς δουλείαν ἐξ ἐλευθερίας ἀγομένου μὴ τὸν ἀφαιρούμενον τὴν ἐλευθερίαν ἀλλὰ τὸν φυλάττοντα κύριον εἶναι μέχρι δίκης. ἔφη τε διὸ πολλὰς αἰτίας προσήκειν τῷ Ἀππίῳ φυλάττειν τοῦτο τὸ δίκαιον· πρῶτον μὲν ὅτι τὸν νόμον τοῦτον ἅμα τοῖς ἄλλοις ἐν ταῖς δώδεκα δέλτοις ἀνέγραψεν κτλ. Pompon. l. siugul. euchiridii D. 1, 2, 2 § 24 'Initium fuisse socessionis dicitur Virginius quidam, qui cum animaduertisset, Appium Claudinm contra ius qnod ipse ex uetero iure iu duodecim tabnlas transtulerat uindicias filiae snae a se abdixisse et secundum eum qui iu seruitutem ab eo suppositus petierat, dixisse' e. q. s. Liuius III 56, 4 'uuius tantum crimiuis, nisi iudicem dices te ab libertate in seruitutem coutra leges uindicias non dedissc, duci te iubebo.' cf. 57, 5. 44, 5. Cic. de rep. III 32 44. Festus p. 376 M. uindiciae. Zaleuci lex apud Polybinm XII 16, 4.

7—9. Festus p. 364 M. 'Tignum nou solum in aedificiis quo utuntur appellatur, sed etiam iu uiueis, ut est in XII: 'Tiguum ....' Id. p. 348 'Sarpiuntur uiueae, id est putautur, ut iu XII: 'Quandoque ....' Paulus l. XV Quaestt. Dig. 46, 3, 98 extr. 'Deuique lex XII tabularum tignum aedibus innctum uindicari posse sci(ui)t, sed interim id solui prohibuit pretinmque eius dari noluit.' Gaius l. II Quotidiau. Dig. 41, 1, 7 § 10. (id. Inst. 2, 1 § 29) 'Cum in suo solo aliquis aliena materia aedificauerit, ipse dominus intellegitur aedificii, quia omne quod inaedificatur solo cedit. Nec tameu ideo is qui materiae dominus fuit desiuit eius dominus esse, sed tantisper neqne uindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea (re *add. Inst.*) agere, propter legem XII tabularum, qua

---

7. uineaue] uineaque *Victorianus* minerue *Vatic. 1549* uineacue *Cuiacius* uineaeque *Scaliger al. sed cf. Cic. de or. II 58, 237 Brut. 44, 162 ad Att. I 19, 6 Vergil. Aen. VII 724 al.* e concapi *scripsi O. Muellero auctore* (*qui* concape): et concapit *libri* et concapu *Ed. Augustini* et concapi *Maiansius Diss. iur. 48 n. 4* e compage *Bosius in Cic. ad Att. I 19 prob. Mommseno in 'Festi cod. quaternio XVI' p. 76.* concapes *Scaliger* copula *s.* cum capite *Turnebus Adv. XIII 27* et coucapitum *Cuiacius Obss. XXII 19* sei concapit *Huschkius Comm. ad l. XII tab. de tigno iuncto p. 4* sei uindicit *H(eimbachius) in Richteri Ann. iur. 1838 p. 395.*

QVANDOQVE SARPTA, DONEC DEMPTA ERVNT

Vlpianus l. XXXVII ad Ed. Dig. 47, 3, 1 pr. 'Lex duodecim tabularum neque soluere permittit tignum furtiuum aedibus uel uineis iunctum neque uindicare; quod prouidenter lex effecit, ne uel aedificia sub hoc praetextu diruantur uel uinearum cultura turbetur: sed in eum qui conuictus est iunxisse in duplum dat actionem.'

TABVLA VII.

I.

Varro de L. L. V 22. 'Etiam ambitus est quod circumeundo teritur: nam ambitus circuitus, ab eoque XII tabularum interpretes ambitus (*l.* ambitum) parietis circuitum esse describunt.'

Volusius Maecianus Distrib. 46. 'Sestertius duos asses

cauetur, ne quis tignum alienum aedibus suis iunctum eximere cogatur, sed duplum pro eo praestet [per actionem, quae uocatur de tigno iniuncto *add. I.*]. Appellatione autem tigni omnes materiae significantur, ex quibus aedificia fiunt. [Quod ideo prouisum est, ne aedificium rescindi necesse sit *add. I.*] Ergo si aliqua ex causa dirutum sit aedificium, poterit materiae dominus [si non fuerit duplum iam persecutus *add. I.*] tunc eam uindicare et ad exhibendum agere.' Paul. l. XXI ad Ed. D. 6, 1, 23 § 6 'Tignum alienum aedibus iunctum nec uindicari potest propter legem XII tabularum nec eo nomine ad exhibendum agi nisi aduersus eum, qui sciens alienum iunxit aedibus: sed est actio antiqua de tigno iuncto quae in duplum ex lege XII tab. descendit.' Id. 10, 4, 6. 24, 1, 63. cf. 6, 1, 59. 44, 2, 7 § 2. 47, 3, 2. 50, 16, 62. Gai. l. XXVI ad ed. prou. 'Tigni appellatione in lege XII tabularum omne genus materiae ex qua aedificia constant significatur.' cf. 47, 3, 1 § 1 'Tigni autem appellatione continetur omnis materia, ex qua aedificium constet uineaeque necessaria.' Vlp. 10, 4, 7 pr. Gai. l. III ad legem XII tabularum. D. 50, 16, 235 § 1 'Fabros tignarios dicimus non eos duntaxat qui tigna dolarent, sed omnes qui aedificarent.' 8. Festus p. 322 M. '(Sarpta uinea putata, i)d est pura (facta .... sarpero enim a)ntiqui pro pur(gare dicebant).' cf. Gloss. Labb. 'sarpo κλαδεύω ἀμπέλους.'

1. Paulus Exc. ex Festo p. 5 M. 'Ambitus proprie dicitur circuitus aedificiorum patens in latitudinem pedes duos et semissem, in longitu-

8. tigna, ne uindicito *suppl. Huschkius p. 24 n. 12. Idem tamen p. 24. 29 restituit:* neque uinea quandoque sarpta, donec dempta erunt (*s.* esunt), tigna uindicito. ast qui iunxit, duplione damnum decidito.

et semissem, quasi semis tertius . . . . lex etiam duodecim tabularum argumento est, in qua duo pedes et semis sestertius pes uocatur.'

2.

Gaius l. IV ad legem XII tabularum. Dig. 10, 1, 13 (id. in Auct. fin. regund. p. 278 Lachm.). 'Sciendum est in actione finium regundorum illud obseruandum esse quod ad exemplum quodammodo eius legis scriptum est quam Athenis Solonem dicitur tulisse: nam illic ita est: ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ (l. ὀρύττῃ), τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν· ἐὰν (δὲ) τειχίον, πόδα ἀπολείπειν· ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας· ἐὰν δὲ τάφρον (τάφον *Flor.*) ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ἢ τοσοῦτον ἀπολείπειν· ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν· ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας.'

3.

1. Plinius H. N. XIX 19, 50. 'In duodecim tabulis legum nostrarum nusquam nominatur uilla: semper in significatione ea hortus, in horti uero heredium.'

2. Festus p. 355 M. '*Tuguria* a tecto appellantur *domicilia rusticorum* sordida . . . . . . quo nomine . . . . . . *in explanatione* XII ait etiam . . . . *significari*.'

4.

Cicero de leg. I 21, 55. 'Ex hac autem non rerum sed uerborum discordia controuersia est nata de finibus: in qua quoniam usus capionem duodecim tabulae intra quinque pedes esse noluerunt (uoluerint *libri, corr. Alciatus*) depasci ueterem possessionem academiae ab hoc acuto homine non sinemus, nec Mamilia lege singuli, sed e XII tres arbitri finis regemus.' cf. *Cuiacius Obss. V 21. Rudorffius in Annal. scient. iur. histor. X p. 345.*

---

diuem idem quod aedificium.' p. 16 M. 'Ambitus proprie dicitur inter uicinorum aedificia locus duorum pedum et semipedis ad circumeundi facultatem relictus. (id. Isidor. Or. XV 16, 12.)'

3, 1. Paulus Exc. ex Festo p. 102 M. 'Hortus apud antiquos omnis uilla dicebatur, quod ibi qui arma capere possint orirentur.' cf. p. 99 'Heredium praedium paruulum.' 2. Pomponius l. XXXV ad Sabinum. Dig. 50, 16, 180 'Tugurii appellatione omne aedificium, quod rusticae magis custodiae conuenit quam urbanis aedibus significatur.' cf. Isidor. Or. XV 12, 2.

5.

SI IVRGANT

6.

Gaius l. II ad Ed. prou. Dig. 8, 3, 8. 'Viae latitudo ex lege XII tabularum in porrectum octo pedes habet, in anfractum, id est ubi flexum est, sedecim.'

Festus XVI 26 sq. p. 78 Momms. (p. 371 Muell.) 'Viae sunt et publicae et priuatae: publicae per quas ire omnibus licet, priuatae quibus neminem uti *ius est* praeter eorum quorum sunt *nomine*. Et hae VIII pedes in latitudine *habent* iure et lege, publicae quantum ratio utilitatis permittit. Et ita priuatae *uiae* lex iubet XVI *in amfracto flex*uque pedes esse.'

7.

VIAM MVNIVNTO. NI SAM DELAPIDASSINT, QVA VOLET IVMENTA AGITO.

5. Nonius p. 430 sq. 'Iurgium et lis hanc habent distantiam: iurgium leuior res est, siquidem inter beniuolos aut propinquos dissensio uel concertatio iurgium dicitur; inter inimicos dissensio lis appellatur. M. Tullius de republica l. IIII 'Admiror nec rerum solum, sed uerborum etiam elegantiam: 'si iurgant' inquit: beneuolorum concertatio, non lis inimicorum iurgium dicitur. Et in sequenti: iurgare igitur lex putat inter se uicinos, non litigare.' Gloss. Ampl. 341 n. 75 'iurgant pugnant rixant.'

6. Varro de L. L. VII 15 'Anfractum est flexum ab origini duplici dictum, ab ambitu et frangendo: ab eo leges iubent in directo pedum VIII esse, in anfracto XVI, id est in flexu.' *Festi locum paullo aliter Mommsenus supplevit p. 85:* 'Viae sunt et publicae, per quas ire (agere) omnibus licet, et priuatae, quibus neminem uti (ius est) praeter quorum sunt. et ita priuatae VIII pedes in latitudine (habent) iure et lege, publicae — permittit. (Praeterea) lex iubet XVI (in amfracto fle)xuque pedes (latas) esse uias.' cf. Dig. 8, 3, 13 § 2 sq. 8, 6, 6 extr.

7. Festus l. l. Vias (a)ut(em) qui(bus uerbis muniri iubet de publi-

7. uias *libri. sed cf. Cic. l. l.* Amsegetes uiam *Pithoeus al. sec. Paul. exc. ex Fest. p. 21 M.* 'Amsegetes dicuntur, quorum ager uiam tangit.' Am segetes uias *Ian. a Costa in Meermanni Thes. I 705 Bergkius in Annal. scient. iur. hist. XIV 144.* muniunto: ni sam delapidassint *Mommsenus p. 85:* muniunt ouisandi lapidas *Vat. Leid.* muniunto omsaudi lapidas .... sunt *Victorianus (Politiani)* muniunto dionisam lapides sunt *Ursinianus, unde Bergkius* muniuntod: eo ni sani lapides sunt. m. donicum lapides esunt *Dacierius* m. donicum lapides escunt; ni munierint *O. Muellerus ad Fest. p. 21. 370. Huschkio (in Muell. Suppl. Ann. p. 414 et Annal. scient. iur. hist. XII 393) placuit:* ni uias (*v.* uiam) muniunt qui uiis amsegetes sunt. iumenta *Ursini cod.:* iumento *Vat. Leid. prob. Momms.* curanto *Victor.* ageto *Vict.*

8.

1. SI AQVA PLVVIA NOCET

2*. Paulus l. XVI ad Sabinum. Dig. 43, 8, 5. 'Si per publicum locum riuus aquaeductus priuato nocebit, erit actio priuato ex lege duodecim tabularum, ut noxae domino caueatur.'

9.

Vlpianus l. LXXI ad Ed. Dig. 43, 27, 1 § 8. 'Quod ait praetor et lex duodecim tabularum efficere uoluit, ut quindecim pedes altius rami arboris circumcidantur, et hoc idcirco effectum est, ne umbra arboris uicino praedio noceret.'

10.

Plinius H. N. XVI 5, 15. 'Cautum est praeterea lege XII tabularum, ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere.'

11.

Inst. 2, 1, 41. 'Venditae uero [res] et traditae non aliter emptori acquiruntur quam si is uenditori pretium soluerit, uel alio modo satisfecerit ueluti expromissore aut pignore

---

cis dicit) 'uias . .' — (*Mea sunt supplementa:* uias ut qui uias *cod. Vat. 2731 Leid. unde Mommsenus:* 'uias, ut adiciat: 'uias . .') Cicero p. Caecina 19, 54 'si uia sit immunita, iubet qua uolit agere iumentum.' cf. Paulus p. 73 M. 'delapidata lapide strata.'

8. Pomponius l. VII ex Plautio. D. 40, 7, 21 'Et quod ita scriptum est 'uidebitur', pro hoc accipi debet 'uideri poterit': sic et uerba duodecim tabularum ueteres interpretati sunt 'si . . . . . i. e. si nocere poterit.' Cic. Top. 9, 39 'ut aqua pluuia ultimo genere ea est, quae de coelo ueniens crescit imbri, sed propior, in quo quasi ius arcendi continetur, genus est aqua pluuia nocens, eius generis formae loci uitio et manu nocens, quorum alterum iubetur ab arbitro coërceri, alterum non iubetur.' cf. Dig. 39, 3 passim.

9. cf. Pompon. l. XXXIV ad Sabinum. D. 43, 27, 2 'Si arbor ex uicini fundo uento inclinata in tuum fundum sit, ex lege duodecim tabularum de adimenda ea recte agere potes ius ei non esse ita arborem habere.' Festus p. 348 M. 'Sublucare arbores est ramos earum supputare' e. q. s. (Paulus sent. V 6, 13.)

10. Gai. l. IV ad. l. XII tabularum. D. 50, 16, 236 § 1 'Glandis appellatione omnis fructus continetur, ut Iauolenus ait, exemplo Graeci sermonis, apud quos omnes arborum species ἀκρόδρυα appellantur.' cf. Gloss. Labb. 'glans glandis βάλανος.'

dato. Quod cauetur quidem etiam lege duodecim tabularum, tamen recte dicitur et iure gentium, id est iure naturali id effici.'

12.

Vlpianus fr. II 4. 'Sub hac conditione liber esse iussus: 's i d e c e m m i l i a h e r e d i d e d e r i t', etsi ab herede abalienatus sit, emptori dando pecuniam ad libertatem perueniet: idque lex duodecim tabularum iubet.'

TABVLA VIII.

1.

Cicero de Republ. IV 12 (ap. Augustinum de Ciu. Dei II 9). 'Nostrae contra duodecim tabulae cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putauerunt: s i q u i s o c c e n t a u i s s e t s i u e c a r m e n c o n d i d i s s e t, q u o d i n f a m i a m f a c e r e t f l a g i t i u m u e a l t e r i.'

Cornutus ad Persii sat. I 123 p. 276 Iahn. — 'propter quod lege XII tabularum cautum est, ut fustibus ferirctur qui publice inuehebatur.'

---

12. Pomponius l. XVIII ad Q. Mucium. D. 40, 7, 29 § 1 'Sed nerissimum est, quod et Aristo Celso rescripsit, posse dari pecuniam heredi ab intestato, secundum qnem sententia dicta est: quoniam lex XII tabularum e m p t i o n i s uerbo omnem alienationem complexa uideretur nec interesset quo genere quisque dominus eius fieret, et ideo hunc quoque ea lege contineri, secundum quem sententia dicta est, et liberum futurum eum qui ei dedisset pecuniam.' Modestinus l. IX differentiarum. ib. 25 'Statuliberos venundari posse leges duodecim tabularum putauerunt.' cf. Festus p. 314 M. Statuliber.

VIII 1. Cic. Tusc. IV 2, 4 'Quamquam id quidem etiam duodecim tabulae declarant condi iam tum solitum esse carmen: quod ne liceret fieri ad alterius iniuriam lege sanxerunt.' Arnobius adu. gentes IV 34 'Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur et uita, decemuiralibus scitis euadere uoluistis impune; ac ne uestras aures conuitio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniuriis.' Horat. Sat. II 1, 82 sqq. 'Si mala condiderit in quem quis carmina ius est Iudiciumque : : Esto, si quis mala, sed bona si quis Iudice condiderit laudatus Caesare? si quis Opprobriis dignum lacerauerit Integer ipse? : : Soluentur risu tabulae, tu missus abibis.' Porphyrio ad u. 81 'Quia lege cautum erat, ne quis in quemquam maledicum carmen scriberet.' Acro ad u. 83 'Hoc lege XII tabularum cautum est.' Horatius Ep. II 1, 152 sqq. 'quin etiam lex Poenaque lata malo quae nollet carmine quemquam Describi: uertere modum formidine fustis Ad bene dicendum delectandumque poetae.' ubi Porphyrio 'Fustuarium supplicium constitutum erat in auctorem carminum infamium.' Paulus sent. V 4, 6

2.

SI MEMBRVM RVPSIT, NI CVM EO PACIT, TALIO ESTO.

3.

MANV FVSTIVE SI OS FREGIT LIBERO CCC, SI SERVO CL POENAM SVBITO [SESTERTIORVM].

'Iniuriarum actio aut lege aut more aut mixto iure introducta est. Lege duodecim tabularum de famosis carminibus, membris ruptis et ossibus fractis.' Festus p. 181 M. 'occentassint (*leg.* occentassit) antiqui dicebant quod nunc conuicium fecerit dicimus, quod id clare et cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit. quod turpe habetur quia non sine causa fieri putatur.' Thomae Thes. nou. latin. p. 398 M. 'occentare clare et aperte conuitiare.'

2. Festus p. 363 M. (p. 72 Momms.) 'Talionis mentionem fieri in XII ait Verrius hoc modo: 'si . . . . Neque id quid significet indicat, puto quia notum est: permittit enim lex parem uindictam.' Gellius N. A. XX 1, 4 'Nonnulla autem in istis legibus nec consistere quidem sicut dixi nisa sunt, uelut illa lex talionis cuius uerba nisi memoria fallit haec sunt: 'si . . .' cf. §§ 33 sqq. XVI 10, 8 (Tab. I fr. 10). Festus p. 264 M. 'rupsit in (rupitias *cod. corr. Scal.*) XII significat damnum dederit.' Gaius Inst. III 223 'Poena autem iniuriarum ex lege XII tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat.' id. Inst. 4, 4, § 7. Paulus Sent. cit. ad 1. cf. Priscianus p. 709 P. I p. 254 H. 'Cato tamen os protulit in IIII Originum [p. 17 fr. 5 *Iord.*]: si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur.' (Isidor. Or. V 27, 24.)

3. Collat. II 5, 5. Paulus l. singul. 'Iniuriarum actio aut legitima est aut honoraria. Legitima ex lege duodecim tabularum: qui iniuriam

---

2. menbrū *Gellii Reg.* m̄brū *Voss. min.* rupsit *scripsi ex Festi loco p. 264 a Scaligero correcto, ut voluit Turnebus Adv. XV 15:* rupit *Gellius* rapserit *Festi p. 363 codd. Vat. 1549 2731.* rapit *cod. Ursin. Ed. Mediol. a. 1510 unde* rapsit *Ursinus* rupitias (*ex* 'rupsit' in) *Festi cod. p. 264* (rupitia *Pauli exc.* rupit in *Mommsenus Mus. rhen. ph. XV p. 464*). nicum *Gell. Reg. pr. (ut videtur) Voss. min. SGerm.* in cum *Festi Vat. 1549* uisum cum *Ed. pr. Med.* meum (*s.* meū) *Gell. Reg. m.*[2] *dtt.* eo pacit *Festus:* epacto (e pacto *dtt.*) *Gellii libri.* in eum e pacto *Contius.* esto] est *Festi Vat. 1549.* 3. manu fustiue si os *Lachmannus in Annal. scient. iur. hist. X 311:* manifestos *cod. Vercell.* manifestus *Vind.* (*in Berol. vv.* fuerunt et speciales — fregit *om.*) illa: 'si quis os *Blumius* illa: 'manu fusti si os *Huschkius.* trecento(rum) si *Lachmannus* ('si' *iam Blumius add.*): trecentos *Verc. Berol.* CCC *Vind.* trecenti (*om.* si) *Huschkius Gaius p. 118* CL] ad *Vind.* poenam subitor ex tertiorum *Berol. Verc.* poenam *om. reliquis Vind. unde Huschkius* poena s̄, *i. e.* poena sunto. sestertiorum *ut Pauli additamentum seclusi.*

4.

SI INIVRIAM [ALTERI] FAXSIT, VIGINTI QVINQVE POENAE SVNTO.

5. (6.)

Inst. 4, 9 pr. 'Animalium nomine quae ratione carent, si quidem lasciuia aut feruore aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege duodecim tabularum prodita est: quae animalia si noxae dedantur, proficiunt reo ad liberationem, quia ita lex duodecim tabularum scripta est.'

*Vlpianus l. XVIII ad Ed. D. 9, 1, 1 pr. 'Si quadrupes

---

alteri facit, quinque et uiginti sestertiorum poenam (poena *Berol. Vercell.*) subit. Qnae lex generalis fuit; fueruut et speciales uelut: 'manu . . . .' Gaius Iust. III 223 'Propter os uero fractum aut collisum trecentorum assium poena erat statuta, si libero os fractum erat; at si seruo, CL.' Iust. I. 4, 4 § 7 'propter ossum uero fractum nummariae poenae erant constitntae, quasi in magna ueterum paupertate.' Gellius N. A. XX 1, 32 'sed iuiurias atrociores, ut de osse fracto, non liberis modo, uerum etiam seruis factas impensiore dampno uindicauerunt: qnibusdam autem iniuriis talionem quoque adposueruut.' Paulus Sent. cit. ad 1. cf. Gai. Iust. III 220 (sim. I. 4, 4 § 1) 'Iniuria autem committitur non solum cum quis pugno pulsa(tus aut) fuste percussus uel etiam uerberatus erit, sed et si cui conuicium factum fuerit.'

4. Geilius l. l. 12 'noune tibi quoque uidetur uimis esse dilutum, quod ita de iniuria poenienda scriptum est: 'si . . .' Coll. l. cit. ad 3. Festus p. 371 M. 'Viginti quinque poenae in XII significat uiginti quinque asses.' Gai. Inst. III 223 'propter ceteras uero iniurias XXV assium poena erat constituta: et uidebantur iilis temporibus in magna paupertate satis idoneae istae pecuniae poenae esse.' Gell. l. l. 31 'Iniurias factas quinque ot niginti assibus sauxerunt' e. q. s. XVI 10, 8. (T. I 10.) cf. Vlpianus l. XVIII ad Ed. D. 9, 2, 1 pr. 'Lex Aquiiia omuibus legibus quae ante se de damuo iniuria locutae sunt derogauit, siue duodecim tabulis siue alia quae fuit.'

5. cf. Theoph. Par. Inst. l. Paulus exc. ex Festo p. 220 M. 'Pauperies damnum dicitur, quod quadrnpes facit.' Festus p. 174 u. noxia cit. ad XII 3. cf. D. 42, 1, 6 § 1. Paulus Sent. I 15, 1.

---

4. iniuria *libri Gellii omnes.* faxsit *Reg.* fax sit *Voss. mai.* faxit, alteri *Huschkius l. l. Ego* alteri *seclusi.* uiginti quinque *Festus:* uiginti quinque (uigintiq [q *in litura*] *Reg.* ·XXV· *s.* ·XX·V· *Voss. min. al.*) aeris *Gellius* uig. qu. asses *XVI 10, 8.* poenae *Festi Victorianus Ed. Augustini:* poen*ae *Gellii Voss. min.* penae *Petav.* pene *Reg. Voss. mai. Festi Vat. 2731. 1549* poenas *Ursinianus*, *defendit O. Muellerus* poena s̄ (sunto) *Huschkius Gai. 117.* sūpto *codd. recent. Gellii.*

pauperiem fecisse dicetur, actio ex lege duodecim tabularum descendit: quae lex uoluit aut dari id quod nocuit, id est id animal quod noxiam commisit, aut aestimationem noxiae offerri.'

6.

Vlpianus l. XLI ad Sabinum. D. 19, 5, 14 § 3 'Si glans (glas *Flor.*) ex arbore tua in fundum meum cadat, eamque ego immisso pecore depascam, Aristo scribit non sibi occurrere legitimam actionem qua experiri possim; nam neque ex lege duodecim tabularum de pastu pecoris, quia non in tuo pascitur, neque de pauperie neque [de] damni iniuriae agi posse; in factum itaque erit agendum.'

7. (8.)

QVI FRVGES EX CANTASSIT

[neue alienam segetem pellexeris]

8. (9.)

Plinius N. H. XVIII 3, 12 'Frugem quidem aratro quaesitam furtim noctu pauisse ac secuisse puberi duodecim tabulis capital erat suspensumque Cereri necari iubebant grauius quam in homicidio conuictum: impubem praetoris

---

6. cf. Gloss. Labb. 'clans clandis βάλανος.'

7. Plinius N. H. XXVIII 4, 17 'Quid? non et legum ipsarum in XII tabulis uerba sunt: 'qui . . .' Seruius ad Verg. Ecl. VIII 99 'Atque satas alio uidi traducere messis] Magicis quibusdam artibus hoc fiebat, unde est in XII tabulis: 'neue . . .' Seneca Nat. Quaest. IV 7 'Et apud nos in XII tabulis cauetur, ne quis alienos fructus excantasset (*l.* excantassit).' Augustinus de C. D. VIII 19 'Illud etiam quod alio loco de his artibus dicit (sc. Vergilius): Atque satas e. q. s., — ce quod hac pestifera scelerataque doctrina fructus alieni in alias terras transferri perhibentur —: nonne in XII tabulis, id est Romanorum antiquissimis legibus Cicero commemorat esse conscriptum et ei qui hoc fecerit supplicium constitutum?' Apuleius Apol. c. 47 (II p. 504 Oudend.) 'Magia ista quantum ego audio res est legibus delegata (relegata *Iungerm. in Ep. Gud. p. 364*), iam inde antiquitus XII tabulis propter incredundas frugum illecebras interdicta.' cf. Marcianus Capella IX § 928 p. 722 K. Plinius N. H. XXX 1, 12 'Exstant certe et apud Italas gentes uestigia eius (sc. magiae) in XII tabulis nostris aliisque argumentis, quae priore uolumine exposui.'

8. cf. Paulus Sent. II 31, 25.

---

7. excantasset *libri Plinii (et Senecae).*

arbitratu uerberari noxiamue duplionemue decerni.' (*leg.* duplione decidi; *cf. T. XII 4. Gaius IV 37 (45). Dig. 4, 4, 9 § 2. 13, 1, 7 pr. 47, 2, 63 § 1. 2. 5. 47 § 5 al. Aliter iudicat Huschkius Gaius p. 122 n. 23.*)

9. (10.)

Gaius l. IV ad legem XII tabularum. D. 47, 9, 9. 'Qui aedes aceruumue frumenti iuxta domum positum combusserit, uinctus uerberatus igni necari iubetur, si modo sciens prudensque id commiserit; si uero casu, id est neglegentia, aut noxiam sarcire iubetur aut, si minus idoneus sit, leuius castigatur. Appellatione autem aedium omnes species aedificii continentur.'

10. (11.)

Plinius N. H. XVII 1, 7. 'Fuit et arborum cura legibus priscis cautumque est XII tabulis, ut qui iniuria cecidisset alienas, lueret in singulas aeris XXV. Quid existimamus uenturasne eas credidisse ad supra dictam aestimationem illos qui frugiferas tanti taxauerant?'

11. 12. (12. 13.)

SI NOX FVRTVM FAXSIT, SI IM OCCISIT, IVRE CAESVS ESTO.

---

9. Festus p. 322 M. 'sarcito in XII Ser. Sulpicius ait significare damnum soluito, praestato.'

10. Paulus l. IX ad Sabinum. D. 47, 7, 1 'Si furtim arbores caesae sint, et ex lege Aquilia et ex duodecim tabularum dandam actionem Labeo ait.' Id. l. XVIII ad Ed. D. 12, 2, 28 § 6 'Colonus cum quo propter succisas forte arbores agebatur ex locato si iurauerit se non succidisse siue e lege duodecim tabularum de arboribus succisis ..... conuenietur, per exceptionem iurisiurandi defendi poterit.' Gaius Inst. IV 11 'unde eum qui de uitibus succisis ita egisset, ut in actione uites nominaret, responsum est eum rem perdidisse, quia debuisset arbores nominare eo, quod lex XII tabularum, ex qua de uitibus succisis actio competeret, generaliter de arboribus succisis loqueretur.' (cf. 47, 7, 3 pr. Plinius N. H. XIV 1, 9.) Gaius l. I ad legem XII tabularum. D. 47, 7, 2 'Sciendum est autem eos, qui arbores et maxime uites ceciderint, etiam tanquam latrones puniri.' cf. Id. ib. 4. Paulus ib. 11. Fronto or. p. Volumnio Sereno II p. 302 Mai. 'Leges plerueque poena sanciunt, ne quis felicem arborem succidat.'

11. Macrobius Sat. I 4, 19 'Non esse ab re puto hoc in loco id quoque ammonere quod decemuiri in XII tabulis inusitatissime 'nox' pro

---

11. faxsit *scripsi e Cuiacii emendatione* faxit *Obss. XI 27:* factum sit *Macrobii libri* factum esit *s.* escit *editt. plerique* si] *malim* ast.

LVCI . . SI SE TELO DEFENDIT . . . . . . ENDOQVE PLORATO.

'noctu' dixerunt. Verba haec sunt: 'si ... in quibus uorbis id etiam notandum, quod ab eo quod est 'is' non 'eum' casu accusatino, sed 'im' dixerunt.' cf. Gellius N. A. VIII 1 inscr. 'item quod decemuiri in XII tabulis uox pro noctu dixerunt.' Ennius in XVI annali [u. 412 V.] ap. Prisc. p. 724 P. 'si luci, si nox, si mox, si iam data sit frux.' Paulus Exc. p. 103 M. 'im ponebant pro eum a nominatino is.' cf. p. 47 callim. Charisius p. 133 K. 'im pro eum. nam ita Scaurus in arte grammatica disputauit antiquos im ques hunc eundem significare consuesso' e. q. s. Gloss. Labb. 'im αὐτόν.' cf. fr. X 9. Gellius XX 1, 7 'nisi duram esse legem putas, quae — nocturnum autem furem iure incidendi tribuit' (*ita Reg. Voss. mai.:* ius occidenti [occidendi *Voss. min.*] tr. *ctt. correctione non minus vitiosa.* 'iure in' *ex repetita voce* 'furem' *ortum videtur*, *malim igitur:* noct. a. f. occidendi tribuit ius).

12. Cicero or. p. Tull. 21 § 50 'Furem, hoc est praedonem et latronem, luco occidi uetant XII tabulae: cum intra parietes tuos hostem certissimum teneas, 'nisi se telo defendit', inquit: etiam si cum telo uenerit, nisi utetur telo eo ac repugnabit, non occides; quod si repugnat, endo plorato: hoc est conclamato, ut aliqui audiant et conueniant.' ib. § 47 'Atque ille legem mihi de XII tabulis recitauit quae permittit, ut furem noctu liceat occidere et luci, si se telo defendat.' cf. § 48. § 52 (fragm. seruatum apud Rufinianum de fig. sent. § 8 p. 201 Ruhnk. 40 Halm.). Schol. Vat. ad or. p. Mil. 3, 6. — Festus p. 309 M. 'sub uos placo in precibus fere cum dicitur, significat id quod supplico, ut in legibus transque dato et endoque plorato.' Paulus p. 77 M. 'Endoplorato implorato quod est cum questione inclamare.' Gloss. Mai. VII 560 'endoplorato implorato.' Gloss. Labb. 'endoplorato ἐπικάλεσον.' Gaius l. VII ad Ed. prou. D. 9, 2, 4 § 1 'Lex duodecim tabularum furem noctu deprehensum occidere permittit, ut tamen id ipsum cum clamore testificetur; interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, ut tamen aeque cum clamore testificetur.' Gellius N. A. XI 18, 6 sq. 'Decemuiri autem nostri qui post reges exactos leges quibus populus Romanus uteretur in XII tabulis scripserunt, neque pari seueritate in poeniendis itaque (*del. hoc Hertzius in Reg. Voss. mai. Fragm. Bern. servatum*, *fort. l.* aeque) omnium generum furibus neque remissa nimis lenitate usi sunt. Nam furem, qui manifesto furto prensus esset, tum demum occidi permisc-

---

12. si] nisi *Cicero p. Tull. probant Beierus, Huschkius, Orellius. Ciceroni, non legi v.* nisi *Kellerus, totum membrum Baiterus tribuit.* defendit *cod. Taur.:* defendet *Baiterus* defenderit *Peyronius.* endoque plorato *Fest. p. 309:* endo plorato *Cicero Paulus p. 77 Gloss. cf. Huschkius in I. G. Huschkii Anal. litt. p. 172.*

13. (14.)

Gellius N. A. XI 18, 8. 'Ex ceteris autem manifestis furibus liberos uerberari addicique iusserunt (sc. decemuiri) ei cui furtum factum esset, si modo id luci fecissent neque se telo defendissent; seruos item furti manifesti prensos uerberibus adfici et e saxo praecipitari; sed pueros impuberes praetoris arbitratu uerberari uoluerunt noxiamque ab his factam sarciri.'

---

runt, si aut, cum faceret furtum, nox esset aut interdiu telo se, cum prenderetur, defenderet.' cf. § 8 (fr. 13). Cic. or. p. Milono 3, 9 (et inde Quintilianus V 14, 18. Collat. legg. Mos. et Rom. 7, 1) 'quodsi duodecim tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderet, interfici impune uoluerunt, quis est qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum uideat aliquando gladium nobis ad hominem occidendum ab ipsis porrigi legibus?' Epitomator Senecae controu. X 6, 4 (*in ipsius Senecae libris haec pars intercidit*) 'Lex quae nocturnum furem occidi quoquo modo iubet, non de damnato tantum, sed de fure loquitur.' Augustinus Quaest. in Heptat. II 84 'Hoc et in legibus antiquis secularibus . . . . . . inuenitur impune occidi nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderit.' Schol. Vat. ad or. p. Mil. 3, 6 'quae (sc. XII tabulae) grassatoris interficiendi potestatem faciunt per diem si armatus ueniat, noctu uero quoquo modo uenerit.' Vlp. l. XVIII ad Ed. Coll. li. 7, 3, 2 'Proinde si furem nocturnum, quem lex duodecim tabularum omni modo permittit occidere, aut diurnum, quem aeque lex permittit, sed ita demum, si se telo defendat: uideamus an lege Aquilia teneatur.' cf. ib. 2. Paulus l. Sent. V 23, 9. Gai. l. XIII ad Ed. prou. D. 47, 2, 54 § 2 'Furem interdiu deprehensum non aliter occidere lex duodecim tabularum permisit quam si telo se defendat; teli autem appellatione et ferrum et fustis et lapis et denique omne quod nocendi causa habetur significatur.' Id. l. I ad legem XII tabularum. D. 50, 16, 233 § 2 'Telum uulgo quidem id appellatur quod ab arcu mittitur, sed nunc omne significatur quod mittitur manu. Ita sequitur, ut et lapis et lignum et ferrum hoc nomine contineatur' e. q. s. id. Inst. 4, 18 § 5.

13. Gaius Inst. III 189 'Poena manifesti furti ex lege XII tabularum capitalis erat: nam liber uerberatus addicebatur ei cui furtum fecerat . . (ser)uus aeque uerberat(us e saxo deiciebatur)' (in eū | atq uerberat. — — *Sched. suppl. Lachmannus*). cf. Theoph. Par. I. 4, 12 pr. ὁ δυωδεκάδελτος ἐπινοήσας τὴν furti κεφαλικὴν κατὰ τοῦ κλέπτου ὥρισε τιμωρίαν, ὁ δὲ πραίτωρ χρηματικήν κτλ. Gellius N. A. XX 1, 7 'nisi duram esse legem putas, quae . . . . aut quae furem manifestum ei cui furtum factum est in seruitutem tradit.' Id. VI (VII) 15, 1 'Labeo in libro de duodecim tabulis secundo acria et seuera iudicia de furtis habita esse apud ueteres scripsit.' Seruius ad Aen. VIII 205 'pro in-

14.

LANCE ET LICIO

Gellius N. A. XI 18, 9 'ea quoque furta quae per lancem licium que concepta essent, proinde ac si manifesta forent, uindicauerunt.'

*15.

Gaius Inst. III 191. 'Concepti et oblati (sc. furti) poena ex lege XII tabularum tripli est eaque similiter a praetore seruatur.'

16.

SI ADORAT FVRTO QVOD NEC MANIFESTVM ERIT, *duplione damnum decidito.*

Gaius Inst. III 190. 'Nec manifesti furti poena per legem *XII* tabularum dupli inrogatur.'

---

genti scelere furis nomen posuit: capitale enim crimen apud maiores fuit ante poenam quadrupli.' id. Isidor. Or. V 26, 18. Festus p. 322 M. sarcito cit. ad 9. p. 174 noxia cit. ad XII 2.

14. Paulus p. 177 M. 'lance et licio dicebatur apud antiquos, quia qui furtum ibat quaerere in domo aliena licio cinctus intrabat lancemque ante oculos tenebat, propter matrum familiae aut uirginum praesentiam.' Gellius XVI 10, 8 'furtorumque quaestio cum lance et licio' (fr. I 10). Gaius Inst. III 192 'Probibiti actio ex edicto praetoris introducta (est): lex autem eo nomine nullam poenam constituit: hoc solum praecipit, ut qui quaerere uelit nudus quaerat linteo cinctus, lancem habens; qui si quid inuenerit, iubet id lex furtum manifestum esse.' cf. § 193 sq. Gloss. Taurin. n. 466 ad Inst. 4, 1 § 4 u. quaesitam (p. 475 Sau.) 'Ita enim fiebat, ut is qui in alienam domum introibat ad requirendam rem furtiuam nudus ingrediebatur discum fictile(m) in capite portans, utrisque manibus detentus (detentum? *I. Grimmius in Antiq. iur. Germ. p. 642. fort.* detentis).'

*15. cf. Gellius XI 18, 11. Paulus Sent. II 31, 14. Gaius Inst. IV 173.

16. Festus p. 162 M. 'nec coniunctionem grammatici fere dicunt esse disiunctiuam, ut nec legit nec scribit: cum si diligentius inspiciatur, ut fecit Sinnius Capito, intellegi possit eam positam esse ab antiquis pro non, ut et in XII est [V 7] item 'si . .' Paulus p. 19 M. 'adorare apud antiquos significabat agere' e. q. s. Gellius XI 18, 15 'Aliis deinde furtis omnibus quae nec manifesta appellantur poenam imposuerunt dupli.' Cato de r. r. praef. cit. fr. 18, 2. cf. Inst. 4, 1 § 5. Vlp.

---

16. erit *cod.:* escit *Charondas al.* esit *Raevardus al. Huschkius de tigno iuncto p. 22. Sed cf. O. Muellerus in Suppl. Ann. ad l. Supplementum add. Marcilius cf. Huschkius 'Gaius' p. 121.*

17.

Gaius Inst. II 45. 'Nam furtiuam (sc. rem) lex XII tabularum usu capi prohibet.'

18.

1. Tacitus Ann. VI 16. 'Nam primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario fenore amplius exerceret.'

2. Cato de r. r. pr. 'Maiores enim nostri sic habuerunt et ita in legibus posiuerunt furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli.'

19.

Paulus Sent. II 12, 11. Coll. 10, 7, 11. 'Ex causa depositi lege duodecim tabularum in duplum actio datur.'

20.

1. Cicero de off. III 15, 61 'Atque iste dolus malus et legibus erat uindicatus, ut tutela (in tutela *Heinius*) duodecim tabulis, circumscriptio adulescentium lege Plactoria, et sine lege iudiciis.'

2. Tryphonius l. XIV Disput. D. 26, 7, 55, § 1. 'Sed si ipsi tutores rem pupilli furati sunt, uideamus, an ea actione, quae proponitur ex lege duodecim tabularum aduersus tutorem in duplum, singuli in solidum teneantur.'

---

l. IV ad Ed. D. 2, 14, 7 § 14 'Nam et de furto pacisci lex permittit.' *vid. Huschkius 'Gaius' 121.*

17. Gaius II 49 'Quod ergo uulgo dicitur furtiuarum rerum et ui possessarum usucapionem per legem XII tabularum prohibitam esse' e. q. s. inde Inst. 2, 6 § 2 sq. 'Nam furtiuarum rerum lex duodecim tabularum et lex Atinia inhibet usucapionem, ui possessarum lex Iulia et Plautia. quod autem dictum est furtiuarum et ui possessarum rerum usucapionem per leges (legem *e codd. aliquot Schraderus*) prohibitam esse e. q. s.' cf. Iulianus l. XLIV Dig. D. 41, 3, 33 pr. 'nam ex qua causa quis ancillam usucaperet, nisi lex duodecim tabularum uel Atinia obstaret, ex ea causa necesse est partum usucapi' e. q. s. Lex Atinia ap. Gellium XVII 7, 1 'Quod subruptum erit, eius rei aeterna auctoritas esto.'

20. Vlpianus l. XXXV ad Ed. D. 26, 10, 1 § 2 (id. Inst. 1, 26 pr.) 'Sciendum est suspecti crimen e lege duodecim tabularum descendere.' cf. Cicero de or. I 36, 166 sq. '. . . ne is pro quo ipse diceret, turpi tutelae iudicio atque omni molestia stultitia aduersarii liberaretur?... quod alter plus lege agendo petebat quam quantum lex in XII tabulis permiserat.'

*21.

PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO.

22.

QVI SE SIERIT TESTARIER LIBRIPENSVE FVERIT, NI TESTIMONIVM FATIATVR, INPROBVS INTESTABILISQVE ESTO.

23.

Gellius N. A. XX 1, 53. 'An putas, Fauorine, si non illa etiam ex duodecim tabulis de testimoniis falsis poena aboleuisset et si nunc quoque ut antea, qui falsum testimonium dixisse conuictus esset, e saxo Tarpeio deiceretur, mentituros fuisse pro testimonio tam multos quam uidemus?'

---

*21. Seruius ad Aen. VI 609 'et fraus innexa clienti] ex lege duodecim tabularum uenit, in quibus scriptum est 'patronus ..' cf. Gellius XX 1, 40. Dionysius Hal. II 10. Plut. Rom. 13.

22. Gellius N. A. XV 13, 11 'Item ex isdem tabulis id quoque est 'qui . . .' Id. VII 7, 2 sq. 'testabilisque una omnium feminarum ut sit datur. Id uerbum est legis ipsius Horatiae: contrarium est in duodecim tabulis scriptum: inprobus intestabilisque esto.' Iust. 2, 10 § 6 'sed neque mulier neque impubes neque seruus . . . nec is quem leges iubent improbum intestabilemque esse possunt in numero testium adhiberi.' Glossa Taurin. p. 152 Sau. 'Intestabiles sunt qui suas subscriptiones perfide negant.' Gaius l. XXII ad Ed. prou. D. 28, 1, 26 'Cum lege quis intestabilis iubetur esse, eo pertinet, ne eius testimonium recipiatur' e. q. s. Porphyrio ad Hor. Sat. II 3 181 'Antiqui eos quos in testimonium dimitti nolebant, intestabiles uocabant.' Priscianus p. 792 P. I 382 H. 'Aelius (melius *codd. opt.* M. Aelius *s.* M. Liuius *s.* Manlius *s.* Laelius *al.*): Impubes libripens esse non potest neque antestari. προδιαμαρτυρηθῆναι.' cf. Sallustius Iug. 67 extr.

23. Cicero de off. III 31, 111 'Nullum enim uinculum ad adstringendam fidem iureiurando maiores artius esse uoluerunt. Id indicant leges in duodecim tabulis' e. q. s.

---

21. si patronus ci. fr. faxit *Merula ex suo Servii ms. (?)* Diti patri sacer esto *ex Dion. Hal. l. suppl. Mommsenus in quaestt. rom. p. 384 n.*

22. qui se sierit *om. Voss. mai. decem fere litterarum lacuna relicta* qui sec"ierit *Reg. unde* qui se III (ter) s. *Gronovius* qui se am sierit *Salmasius Obss. ad ius Att. c. 30 p. 815.* scierit *Sigonius.* antestarier *Marcilius al. cf. Aelius ap. Priscianum.* libri petis *Reg.* libri pensue *Voss. mai.* ni] in *Reg. Christ. 597.* fatiatur *scripsi:* fariatur *libri* fateatur *Turnebus Adv. XIII 26 cf. XXIX 14.* in test. feriatur *Rivallius prob. Cuiacio Obss. IX 10 al.* inpr. quibus intestabuiisque *Voss. min.*

24.

SI TELVM MANV FVGIT MAGIS QVAM IECIT

Cicero Top. 17, 64. 'Nam iacere telum uoluntatis est, ferire quem nolueris fortunae. Ex quo aries subiicitur ille in uestris actionibus, si telum manu fugit magis quam iecit.'

25.

1. Saluianus Massil. de gubern. dei VIII 5 (p. 182 ed. Baluz.). 'Interfici enim indemnatum quemcunque hominem etiam duodecim tabularum decreta uetuerunt.'

---

24. Cicero p. Tull. 21, 51 'Quis est cui magis ignosci conueniat — quoniam me ad XII tabulas reuocas — quam si quis quem imprudens occiderit? Nemo opinor . . . tamen huiusce rei ueniam maiores non dederunt. Nam lex est in XII tabulis 'si . . .' Id. de or. III 39, 158 'Non numquam etiam breuitas translatione conficitur, ut illud 'si telum manu fugit.' Imprudentia teli emissi breuius propriis uerbis exponi non potuit quam est uno significata translato.' Boethius in Cic. Top. l. 'Vnde etiam machinamentum quoddam atque defensio in iurisperitorum responsionibus inuenitur hoc modo 'si . . . .' Augustinus de lib. arbitrio I 4, 9 'Si homicidium est hominem occidere, potest accidere aliquando sine peccato: nam et miles hostem et iudex uel minister eius nocentem et cui forte inuito atque imprudenti telum manu fugit, non mihi uidentur peccare, cum hominem occidunt: nam illi uel ex legibus faciunt uel non contra leges.' de 'telum' cf. Gaius D. 50, 16, 233 § 2 cit. ad 12. Gloss. Paris. p. 164 Hildebr. 'iecit misit.' Festus p. 347 M. 'subici ar(ies dicitur qui pro occiso datur), quod fit, ut ait Cincius (in libro de officio iuris)consulti, exemplo At(hamantis, ex quo [Atheniensium apud quos *edd.*]) expiandi gratia aries m(actatur ab eo qui inuitus sce)lus admisit poenae p(endendae loco).' *suppl. Mercklinus Phil. p. XII 201.* Id. p. 351 'subigere arietem in eodem libro Antistius esse ait dare arietem, qui pro se agatur, caedatur.' Seruius ad Virg. Ecl. IV 43 'Sane in Numae legibus cautum est, ut si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi agnatis (et natis *libri*, *corr. Huschkius in Annal. litt. p. 375*) eius in cautione (contione *Scaliger ad Festi l.*) offerret arietem. Ergo hic bene uidetur arieti dignitatem dare dicendo 'ipse', qui oblatus homicidam crimine homicidii possit absoluere.' Id. ad Ge. III 387 'aries sit candidus ipse] bene 'ipse' addidit, quasi qui aut dominus gregis est aut qui antea pro domino capital dari consueuerat. Nam apud maiores homicidii poenam noxius arietis damno luebat: quod in regum legibus legitur.'

25. Plinius N. H. XVIII 3, 12 (fr. 9) '. . necari iubebant grauius quam in homicidio conuictum.' — *Pomponii verba vertit (Gaio tribuens*

---

24. fugit ma . . . . *cod. p. Tull. Ex Top. suppl. Peyronius.*

2. (IX 4) Pomponius l. sing. Enchir. D. 1, 2, 2 § 23. 'Et quia, ut diximus, de capito ciuis Romani iniussu populi non erat lege permissum consulibus ius dicere: propterea quaestores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus praeessent; hi appellabantur quaestores parricidii, quorum etiam meminit lex duodecim tabularum.'

26. (25.)

1. QVI MALVM CARMEN INCANTASSIT

2. Gaius l. IV ad legem XII tabularum. D. 50, 16, 236. 'Qui uenenum dicit, adiicere debet, utrum malum an bonum: nam et medicamenta uenena sunt, quia eo nomine omne continetur quod adhibitum naturam eius cui adhibitum est mutat.'

*27. (26.)

Porcius Latro personatus declam. in Catil. 19. 'Primum duodecim tabulis cautum esse cognoscimus, ne quis in urbe coetus nocturnos agitaret.'

errore ex inscriptionum permutatione leg. 1 et 2 orto: de qua re cf. Heffterus in Mus. rhen. iur. II 183 sq.) Io. Lydus de magistr. I 26 Γάιος τοίνυν ὁ νομικὸς ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ παρ' αὐτοῦ ad legem XII tabularum, οἷον εἰς τὸν νόμον τοῦ δυοδεκαδέλτου, αὐτοῖς ῥήμασι πρὸς ἑρμηνείαν ταῦτα φησίν· . . . . . ἐπειδὴ δὲ περὶ κεφαλικῆς τιμωρίας οὐκ ἐξῆν τοῖς ἄρχουσι κατὰ Ῥωμαίου πολίτου ψηφίσασθαι, προεβλήθησαν κυαίστωρες παρρικίδιοι, ὡσανεὶ κριταὶ καὶ δικασταὶ τῶν πολίτας ἀνελόντων. Festus p. 258 M. 'Quaestores (dicebantur qui quaererent de rebus) capitalibus, unde (eidem etiam [in XII] quaestores parri)cidi appellantur' (in XII *suppl. Gothofr. in lac.*). cf. Paulus exc. ex Festo p. 221 M. 'Parrici(di) quaestores appellabantur qui solebant creari causa rerum capitalium quaerendarum. Nam parricida non utique is qui parentem occidisset dicebatur, sed qualemcunque hominem indemnatum. Ita fuisse indicat lex Numae Pompilii regis, his composita uerbis: 'si qui hominem liberum dolo sciens morti duit, parricidas esto.'

26. Plinius N. H. XXVIII 4, 17 'Quid? non et legum ipsarum in XII tabulis uerba sunt [fr. 7] et alibi 'qui . . .' cf. id. XXX 1, 12 cit. ad 7.

*27. cf. Liuius 39, 15 'Maiores uestri, ne uos quidem . . . . forte temere coire noluerunt.'

---

26. incantassit *Voss. pr. Riccard. pr.*: incantasset *ctt.*

28. (27.)

Gaius l. IV ad legem XII tabularum. D. 47, 22, 4. 'Sodales sunt qui eiusdem collegii sunt, quam Graeci ἑταιρίαν uocant. His autem potestatem facit lex pactionem quam uelint sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. Sed haec lex uidetur ex lege Solonis translata esse' e. q. s.

TABVLA IX.

1. 2.

Cicero de leg. III 19, 44. 'Tum leges praeclarissimae de duodecim tabulis tralatae duae, quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari nisi maximo comitiatu uetat. et nondum notis seditiosis tribunis pl., no cogitatis quidem admirandum tantum maioris in posterum prouidisse: in priuatos homines leges ferri noluerunt: id est enim priuilegium . . . Ferri de singulis nisi centuriatis comitiis noluerunt' e. q. s.

cf. ib. 4, 11. 'Priuilegia ne irroganto. De capite ciuis nisi per maximum comitiatum ollosque quos censores in partibus populi locassint ne ferunto.'

3.

Gellius N. A. XX 1, 7. 'Dure autem scriptum esse in istis legibus quid existimari potest? nisi duram esse legem putas quae iudicem arbitrumue iure datum, qui ob rem dicendam pecuniam accepisse conuictus est, capite poenitur.'

4. (5.)

Marcianus l. XIV Inst. D. 48, 4, 3. 'Lex duodecim

IX 1. 2. Cicero p. Sest. 30, 65 'Cur, cum de capite ciuis — non dico cuiusmodi ciuis — et de bonis proscriptio ferretur, cum et sacratis legibus et XII tabulis sancitum esset, ut neque priuilegium irrogari liceret neque de capite nisi comitiis centuriatis rogari, nulla uox est audita consulum?' Id. p. dom. 17, 43 (cit. ap. Festum p. 241 M.) 'uetant leges sacratae, uetant XII tabulae leges priuatis hominibus irrogari: id est enim priuilegium.' Id. de Rep. II 36, 61 'quo tamen e collegio (sc. decemuirum secundi anni) laus est illa eximia C. Iuli, qui hominem nobilem L. Sestium, cuius in cubiculo ecfossum esse se praesente mortuum diceret, cum ipse potestatem summam haberet, quod decem uirum sine prouocatione esset, uades tamen poposcit: quod se legem illam praeclaram neglecturum negaret, quae de capite ciuis romani nisi comitiis centuriatis statui uetaret.' cf. ib. 31, 54 (Inc. 5).

tabularum iubet eum qui hostem concitauerit quiue ciuem hosti tradiderit capite puniri.'

TABVLA X.

1.

HOMINEM MORTVVM IN VRBE NE SEPELITO NEVE VRITO.

2.

HOC PLVS NE FACITO: ROGVM ASCEA NE POLITO.

3.

Cicero de leg. II 23, 59. 'Extenuato igitur sumptu, tribus reciniis *relictis* et uno clauo purpurae et decem tibicinibus tollit etiam lamentationem.' *vid. p. 56 sq.*

X 1. Cicero de leg. II 23, 58 'set quaero, quidnam sit in legibus. M. Pauca sano, Tite, et nt arbitror non ignota nobis. Sed ea non tam ad religionem spectant quam ad ius sepulcrorum. 'Hominem mortuum' inquit lex in duodecim (milia *add. Leid. A ex littera quae praecedit ortum, unde male editores* in XII tabulis) 'in . . .' Credo uel propter ignis periculum. Quod autem addit 'neue urito' indicat non qui uratur sepeliri, sed qui humetur.' Isidorus Orig. XV 11, 1 'Prius autem quisque in domo sua sepeliebatur. Postea uetitum est legibus, ne foetore ipso (ipsa?) corpora uiuentium contacta inficerentur.'

2. Cicero ib. 59 'Iam cetera in XII minuendi sumptus sunt lamentationisque funebris, translata de Solonis fere legibus. 'Hoc plus' inquit 'ne . . .'

3. Id. ib. 25, 64 'Postea quom, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt, quam legem eisdem prope uerbis nostri decemuiri in decimam tabulam coniecerunt: nam de tribus reciniis et pleraque illa Solonis sunt.' cf. Ammianus Marcell. XVI 5, 1. Festus p. 274 M. 'Recinium omne uestimentum quadratum ei qui XII interpretati sunt, esse dixerunt; uir toga (Verrius togam qua *Lipsius Epist. Qu. I 7*) mulieres utebantur praetextam clauo purpureo' e. q. s. Nonius p. 542 'ricinnm (*l.* ricinium) quod nunc mafurtium dicitur, palleolum femineum breue. Varro de uita p. R. l. I 'et (*l.* ex) quo mulieres in aduersis rebus ac luctibus, cum omnem uestitum delicatiorem ac luxuriosum ponunt, ricinia sumunt.' cf. Varro de l. l. V 132. Seruius ad Aen. I 282. Thomae Thes. nou. latin. p. 508 M. decem tibicin.] cf. Ouid. Fast. VI 657 sq.

---

1. ne urito *priore loco Leid. BH in A* ne sepelito neue urito *est in ras.* 2. ascea *Leid. ABH cf. Vahlenus in Annal. rei gymn. Austr. 1860 p. 20:* ascia *ctt.*

4.

MVLIERES GENAS NE RADVNTO NEVE LESSVM FVNERIS ERGO HABENTO.

5.

HOMINI MORTVO NE OSSA LEGITO, QVO POST FVNVS FACIAT.

Cicero l. l. 60. 'Excipit bellicam peregrinamque mortem.'

6.

Cicero l. l. 60. 'Haec praeterea sunt in legibus: [de unctura quae] seruilis unctura tollitur omnisque circumpotatio: quae et recte tolluntur neque tollerentur, nisi fuissent. Ne

---

4. Cicero l. l. 25, 64 'de lamentis uero expressa uerbis sunt 'mulieres . . .' 23, 59 'tollit etiam lamentatiouem 'mulieres . . .' Hoc ueteres interpretes Sex. Aelius, L. Acilins uou satis se intellegere dixeruut, sed suspicari uestimeuti aliquod genus fuuebris, L. Aelius lessum quasi lugubrem eiulationem, ut uox ipsa significat: quod eo magis iudico uerum esse, quia lex Solouis id ipsum uetat.' cf. Tusc. disp. II 23, 56 'Ingemiscere non uumquam uiro concessum est idque raro: eiulatus ne mulieri quidem: et hic nimirum est fletus (*leg.* lessus, *ut ex vetustis libris (?) Muretus Var. Lect. IX 19 al.*) quem XII tabulae in funeribus adhiberi uetueruut.' Gloss. Labb. 'lessus θρῆνος.' Plinius H. N. XI 58, 157 'Infra oculos malae homini tantum, quas prisci geuas uocabant XII tabularum interdicto radi a feminis uetautes.' Festus p. 273 M. 'Radere g(euas uetitum est iu) lege XII, id est nnguibus (lacerare malas).' *suppl. O. Muellerus.* cf. Gloss. Paris. p. 154 Hild. 'Geuae malae quae in facie sunt sub oculis.' Seruius ad Aeu. XII 606 '. . . tameu sciendum cautum esse lege XII tabularum, ne mulieres carpereut faciem, his uerbis 'mulier faciem ne carpito.'

5. Cicero l. l. 60 'Cetera item fuuebria quibus luctus augetur XII sustulerunt. 'Homiui', inquit, 'mortuo . . . . . .' credo quod erat factitatum, ut uni plura fiereut lectique plures sternereutur: id quod ue fieret lege sanctum est.' 'credo — sanctum est' *quae in libris editionibusque post* 'impositam iubet' (*f. 7*) *leguntur transposui cum Schoemanno Opusc. III 386 sq.*

6. cf. Numae lex apud Plinium XIV 12, 88 'uiuo rogum ne respargito.' Festus p. 262 M. (coll. Panli exc.) 'Resparsum uinum apud antiquos significat uinum rogo inspersum, quod iu sacris uouendialibus

---

4. mulieras genes *B § 64* cenas *H § 59 cf. Vahlenus l. l. p. 3* netradunto *H ib.* ne radunt oney (honey B^1) B^1 *H § 64.* . neue *h. l. in ras. A* mulier faciem ne carpito *Servius.* flessum B^1 *H § 64. In Tusc. l.* fletus *interpolatum pro* lessus. *cf. Gloss. Paris. p. 194 Hild.* letio lamentabile. *Bergkius in Diar. antiq. stud. 1851 p. 221.* habento * *A* habenteo *B* habent eo *H § 59.* 5. quos *A H, sed in A s punctata.* post funus] possimus H^1 *in mg. corr. m. 2.*

sumptuosa respersio, ne longae coronae nec acerrae praetereantur' (praeferantur *Manutius* nec s. r. nec l. c. nec ac. praetereuntur *Bakius*).

Festus p. 158 M. 'Murrata potione usos antiquos indicio est, quod etiamnunc aediles per supplicationes Dis addunt ad puluinaria, et quod XII tabulis cauetur, ne mortuo indatur, ut ait Varro Antiquitatum l. I.'

7.

QVI CORONAM PARIT IPSE PECVNIAVE EIVS *honoris* VIRTVTISVE ERGO, *si* ARDVVITVR EI *parentique eius, se fraude esto.*

Cicero de leg. II 24, 60. 'Illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam uirtute partam et ei qui peperisset et eius parenti sine fraude esse [lex] impositam iubet.'

8. 9.

NEVE AVRVM ADDITO. CVI AVRO DENTES IVNCTI ESCVNT, AST IM CVM ILLO SEPELIET VRETVE, SE FRAVDE ESTO.

---

uino mortui sepulcrum spargebatur.' Paulus exc. ex Festo p. 18 M. 'Acerra ara quae ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebant' e. q. s.

7. Plinius N. H. XXI 5, 7 'Namque ad certamina in circum per ludos et ipsi descendebant et seruos suos equosque mittebant. Inde illa XII tabularum lex 'Qui . . . .' Quam serui equiue meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitauit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo parentibusque eius, dum intus positus esset forisue ferretur, sine fraude esset imposita.'

8. 9. Cicero l. l. 'Qua in lege quom esset 'neue aurum addito'

---

7. honoris uirtutisue *scripsi* (*cf. Paulus exc. p. 82 M. v.* ergo): uirtutisue *Riccardianus Voss. Paris. d Chiffletianus Turnebus Adv. 18, 29. 29, 1* uirtuti suae *Toletanus* uirtutis suae *Pintianus Gronovius Silligius.* pecuniaue, eius uirtutisue ergo *Ianius. Sed cf. Cicero l. l.* arduuitur *scripsi:* arguitur *Riccard. Voss. m.*[2] *al.* duuitur *Tolet.* duitur *Voss. m.*[1] *Paris. d*[2] *Salmasius ad Solinum 122* diuiditur *d*[1] *Chifflet.* diuiditor *vet. Dalecampii Turnebus* diditor *cod. Urs.* duitor *Harduinus al.* arduitor *al. apud Turnebum 29, 1 Lipsius. Supplementa addidi.*

8. 9. cui] ut cui *Halmius (in Fleckeiseni Annal. phil. 79 p. 765).* iuncti *AH:* uncti *B* uincti *Edd. plerique.* escunt *Lambinus:* essent *libri. cf. Lucretius I 619 v. l. Wesenbergius ad Cic. Tusc. III 5, 11.* esunt *post Raevardum al. Halmius.* astim *A.* sepeliet uretue se *scripsi:* sepelieturetue se (uaese *B* uese *H*) *libri.* sepelirei ureiue se *Buechelerus in Fleckeiseni Annal. l. c. prob. Halmio* sepelire urereue se *Turnebus al.* fraude *H.* isto *libri.*

10. 11.

Cicero de leg. II 24, 61. 'Duae sunt praeterea leges de sepulchris, quarum altera priuatorum aedificiis, altera ipsis sepulchris cauet. Nam quod rogum bustumue nouum uetat propius sexaginta pedes adiei aedes alienas inuito domino, incendium uidetur arcere (*ita Lambinus:* ueretur acerbum uetat *libri* ut arceatur uetat *Halmius*). Quod autem forum, id est uestibulum sepulchri, bustumue usu capi uetat, tuetur ius sepulchrorum.'

TABVLA XI.

A·K·IAN·F	E NON·F	A AGON N	E EID·N
B F	F F	B EN	F EN
C C	G C	C CAR·N	G CAR·N
D C	H C	D C	H C

quam humano oxcipit (excipiat *libri*, excipitur *Halmius*) altora [lex praecipit altera lege nt] 'cui . . .'

10. cf. Pomponins l. IX ad Sab. D. 11, 8, 3 § 1 'Si propius aedificium alienum intra logitimum modum mortuus illatus sit, postea oum prohibore non poterit aedificii dominus, quominus alium mortuum eo inferat uel monumentnm aedificet, si ab initio domino sciente hoc fecerit.'

11. Paulus Exc. ex Festo p. 84 M. 'Forum . . . quarto, cnm id forum antiqui appellabant quod nunc uestibulum sepulcri dic[ar]i solot.' cf. id. p. 32 bustum. Festns p. 339 sepulchrum. Soruius ad Aon. XI 185. 201. III 22.

T. XI. Ciocro ad Att. VI 1, 8 'e qnibus (sc. de republica libris) unnm ἱςτορικόν requiris de Cn. Flauio Anni f. Ille uero ante decemuiros non fuit: quippe qui aedilis curulis fuorit, qui magistratus multis annis post docomuiros institutns ost. Quid ergo profecit quod protulit fastos? Occultatam pntant qnodam tempore istam tabnlam, nt dies agendi peterentnr a paucis' (patrioiis *Mommsenus de chronol. p. 31*).

Ouidius Fast. II 47 sqq.

Sed tamen antiqui ne nescius ordinis erres,
Primns nt est Iani mensis et ante fuit;
Qui sequitnr Ianum, notoris fuit ultimus anni:
Tu quoque sacrorum, Termine, finis eras.
Primus enim Iani mensis, quia ianua prima est;
Qui sacer est imis manibus, imus erat.
Postmodo creduntur spatio distantia longo
Tompora bis qnini continnasso niri.'

cf. Dionysius Hal. X 59 ἐν δὲ τῷ κατόπιν ἔτει παραλαβόντες τὴν ὑπατικὴν ἐξουςίαν οἱ cὺν Ἀππίῳ Κλαυδίῳ δέκα ἄνδρες εἰδοῖc μαΐαις· ἦγον δὲ τοὺς μῆνας κατὰ cελήνην καὶ cυνέπιπτεν εἰc τὰc εἰδοὺc ἡ πανcέληνος κτλ.

A C
B C
C C
D C
E C
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C
E C

F·K·FEB·N
G N
H N
A N
B NON·*N*
C N
D N
E N
F N
G N
H N
A N
B EID·N'
C N
D LVPER·N'
E EN
F QVIR·N'
G C
H C
A C
B FERAL·F
C C
D TER·N'
E REGIF·N
F C
G EN
H EQ·N'
A C

B·K·MAR·N'
C F
D C
E C
F C
G *C*
H NON·F
A F
B C
C C
D C
E C
F EN
G EQ·N'
H EID·N'
A F
B LIB·N'
C C
D QVIN·N'(N)
E C
F C
G N
H TVBIL·N'
A Q·R·C·F
B C
C C
D *C*
E C
F C
G C
H C

A·K·APR·F
B F
C C
D C
E NON·N
F *F*
G N
H N
A N
B N
C N
D N
E EID·N'
F N
G FORD·N'
H N
A N
B N
C CER·N
D N
E PAR·N'
F N
G VIN·F (N')
H C
A ROB·N'
B C
C *C*
D C
E C

F·K·MAI·F
G F
H C
A C
B C
C C
D NON·F (N)
E F
F LEM·N
G C
H LEM·N
A C
B LEM·N
C C
D EID·N'
E F
F C
G C
H C
A C
B AGON·N'
C N
D TVB·N'
E Q·R·C·F
F C
G C
H C
A C
B C
C C
D C

E·K·IVN·N
F F
G C
H C
A NON·N
B N
C N
D N
E VEST·N
F N
G MATR·N
H N
A EID·N' (N)
B F (N)
C Q·ST·D·F
D C
E C
F C
G C

H C	F C	C F	A EID·N'
A C	G C	D C	B F
B C	H C	E C	C C
C C	———	F C	D C
D C	A·K·SEXT·*F*	G C	E ARM·N'
E C	B *F*	H C	F C
F C	C C	A N	G C
G C	D C	B EID·N'	H C
H C	E NON·F	C F	A C
A C	F F	D N	B C
———	G C	E C	C C
B·K·QVINCT·N	H C	F C	D C
C N	A *C*	G C	E C
D N	B C	H C	F C
E *N*	C C	A C	G C
F POPLIF·N'	D C	B C	H C
G N	E EID·N'	C C	A C
H NON·N	F F	D F	———
A N	G C	E C	B·K·NOV·F
B N	H C	F C	C F
C C	A PORT·N'	G C	D C
D C	B C	H C	E C
E C	C VIN·FP(F,N')	A C	F NON·F
F C	D C	B C	G F
G C	E CONS·N'	———	H C
H EID·N'	F EN	C·K·OCT·N	A C
A F	G VOLC·N'	D F	B C
B C	H C	E C	C C
C C	A OPIC·N'	F C	D C
D LVCAR·N'	B C	G C	E C
E C	C VOLT·N'	H C	F EID·N'
F LVCAR·N'	D C	A NON·F	G F
G C	E C	B F	H C
H NEPT·N'	———	C C	A C
A N	F·K·SEPT·F	D C	B C
B FVRR·N'	G *F*	E MEDITR·N'	C C
C C	H *C*	F *C*	D C
D C	A C	G FONT·N'	E C
E C	B NON·F	H EN	F C

G C	H N	B EN	D C
H C	A N	C EID·N̄	E LAR·N̄
A C	B C	D F	F C
B C	C NON·F	E CONS·N̄	G C
C C	D F	F C	H C
D C	E C	G SAT·N̄	A C
E C	F C	H C	B C
F C	G C	A OPAL·N̄	C C
———	H C	B C	
G·K·DEC·N	A AGON·N̄	C DIV·N̄	

* * *

Macrobius Sat. I 13, 21 'Tuditanus refert libro tertio magistratuum decemuiros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores.'

TABVLA XII.

1. (XI 1.)

Cicero de rep. II 37, 63. 'Ergo horum (sc. decemuirum tertii anni) ex iniustitia subito exorta est maxima perturbatio et totius commutatio reipublicae: qui duabus tabulis iniquarum legum additis, quibus etiam quae diiunctis populis tribui solent conubia, haec illi ut ne plebi et patribus (plebei cum p. *m. 2 superscr.*) essent, inhumanissima lege sanxerunt — quae postea plebeiscito Canuleio abrogatast —, libidinose omni imperio et acerbe et auare populo praefuerunt.'

2. (1.)

Gaius Inst. IV 28. 'Lege autem introducta est pignoris capio uelut lege XII tabularum aduersus eum qui hostiam

1. Liuius IV 4, 5 'Hoc ipsum, ne conubium patribus cum plebe esset, non decemuiri tulerunt paucis his annis pessimo [exemplo] publico cum summa iniuria plebis?' Dionysius Hal. X 60 οἱ δὲ περὶ τὸν Ἄππιον τοὺς λοιποὺς συγγράψαντες νόμους ἐν δέλτοις δυσὶ καὶ ταύτας ταῖς πρότερον ἐξενεχθείσαις προσέθηκαν· ἐν αἷς καὶ ὅδε ὁ νόμος ἦν 'μὴ ἐξεῖναι τοῖς πατρικίοις πρὸς τοὺς δημοτικοὺς ἐπιγαμίας συνάψαι.' cf. XI 28 καὶ ἅμα οὐδ' ἀξιῶν ἐκ δημοτικοῦ γένους ἁρμόσασθαι γάμον παρὰ τὸν νόμον ὃν αὐτὸς ἐν ταῖς δώδεκα δέλτοις ἀνέγραψε κτλ. Gaius l. VI ad legem XII tabb. D. 50, 16, 238 'Plebs est ceteri ciues sine senatoribus.'

2. Gaius l. VI ad legem XII tabb. D. 50, 16, 238 § 2 'Pignus appellatum a pugno, quia res quae pignori dantur manu traduntur, unde

emisset nec pretium redderet; item aduersus eum qui mercedem non redderet pro eo iumento quod quis ideo locasset, ut inde pecuniam acceptam in dapem, id est in sacrificium inpenderet.'

3. (2.)

SI SERVVS FVRTVM FAXIT NOXIAMVE NOXIT

Gaius Inst. IV 75 sq. (id. Inst. 4, 8 pr. § 4) 'Ex maleficiis filiorum familias seruorumue, ueluti si furtum fecerint aut iniuriam commiserint, noxales actiones proditae sunt, uti liceret patri dominoue aut litis aestimationem sufferre aut noxae dedere ... Constitutae sunt autem noxales actiones aut legibus aut edicto; legibus, uelut furti lege XII tabularum' e. q. s.

---

etiam uideri potest uerum esse (quod) quidam putant pignus proprio rei mobilis constitui.' cf. Paulus exc. p. 68 M. 'Daps apud antiquos dicebatur res diuina quae fiebat aut hiberna semeuti aut uerna' e. q. s. uid. etiam VII 11.

3. Vlpianus l. XVIII ad ed. D. 9, 4, 2 § 1 'Celsus tamen differentiam facit inter legem Aquiliam et legem XII tabularum. Nam in lege antiqua (si) seruus sciente domino furtum fecit uel aliam uoxam (l. noxiam) commisit, serui nomine actio est noxalis nec dominus suo nomine tenetur. At in lege Aquilia, inquit, dominus suo nomine tenetur, non serui. Vtriusque legis reddit rationem: XII tabularum, quasi noluerit seruos dominis in hac re non obtemperare; Aquiliae, quasi ignouerit seruo, qui domino paruit periturus, si non fecisset. Sed si placeat quod Iulianus libro LXXXVI scribit 'si . . . . . .' etiam ad posteriores leges pertinere, poterit dici etiam serui nomine cum domino agi posse noxali iudicio.' Festus p. 174 M. (cf. Paulus) '(Noxia in XII) ut Ser. Sulpicius Ru(fus ait damnum significat), apud poetas autem et oratores ponitur pro culpa. at noxa peccatum aut pro peccato poenam, ut Accius ... Item cum lex iubet noxae dedere, pro peccato dedi iubet.' Gaius l. VI ad legem XII tabularum. D. 50, 16, 238 § 3 'Noxiae appellatione omne delictum continetur.' (noxae *male edd.*) cf. Inst. 4, 8 § 1. Seruius ad Aen. I 41. D. 42, 1, 6 § 1. Pomponius l. XX ad Q. Mucium. D. 44, 7, 56 'Quaecumque actiones serui mei nomine mihi coeperunt competere uel ex XII tabulis uel ex lege Aquilia uel iniuriarum uel furti, eaedem durant etiamsi seruus postea uel manumissus uel alienatus uel mortuus fuerit.' Marcellus l. VIII Dig. D. 47, 6, 5 'Et si seruus communis alterius iussu damnum dederit, etiam quod prae-

---

3. noxiamue] noxamue *Schol. Basilic. VII 14, 6 Fabrot. al.* noxit *Pithoeus:* nocuit *Ulpianus.*

4. (3.)

SI VINDICIAM FALSAM TVLIT SIVE LITIS . . . [*prae*TOR] ARBITROS TRIS DATO, EORVM ARBITRIO . . . FRVCTVS DVPLIONE DAMNVM DECIDITO.

*5. (4.)

Gaius l. VI ad legem XII tabularum. D. 44, 6, 3. 'Rem, de qua controuersia est, prohibemur in sacrum dedicare: alioquin dupli poenam patimur . . . . . . sed duplum utrum fisco an aduersario praestandum sit, nihil exprimitur.'

---

stiterit alter, si modo cum eo quoque ex lege Aquilia uel ex XII tabulis agi potest, repotat a socio sicuti eum communi rei nocitum est.' Paulus Sent. II 31, 7 'Seruus qui furtum fecerit damnumue dederit nisi id pro sui quantitate dominus sarcire sit paratus, noxae dedi potest.'

4. Festus p. 376 M. (84 Momms.) 'Vindiciae appellantur res eae de quibus controuersia est, quod potius dicitur uis quam fit inter eos qui contendunt . . . . De quo uerbo Cincius sic ait: 'Vindiciae olim dicebantur illae (*om. Ed. princ. 1510. suppl. Victorianus ed. August.* glebae *Raevardus*) quae ex fundo sumptae in ius adlatae erant.' At Ser. Sulpicius (nomine et)iam singulariter formato uindiciam esse ait (dictam q)ua de re controuersia est, ab eo quod uindicatur: et (ut?) in XII 'si . . .' cf. Cod. Theodos. IV 19, 1 'Quod a nobis exemplo aequabili ex iuris prisci est formulis introductum, ut quia malae fidei possessores in fructus duplos conueniuntur, aeque malae fidei debitores simile damni periculum persequatur.' Gaius l. VI ad legem XII tabb. D. 22, 1, 19 'Videamus an in omnibus rebus petitis in fructus quoque condemnetur possessor' e. q. s. Vlpianus D. 10, 4, 9 § 6 'nisi paratus sit repetita die intentionem suscipere ita, ut fructus secundum legem aestimentur. Paulus Exc. ex Festo p. 66 M. 'Duplionem antiqui dicebant quod nos duplum, uenit autem a graeco διπλοῦν.'

---

4. siuelitis . . . . lor arb. *Vatic. 2731. Leid. Ursinianus.* siue litis . . ter arb. *Victorianus* siue litis arb. *Vat. 1549 Ed. August.* (lol arb. *mg. Aug.*) si uelil is praetor arb. *Ursinus prob. Huschkius Iur. ant. p. 26 Mommsenus.* rei siue litis arb. *Cuiacius Obss. V 21 prob. Scal. al.* sliitis el uimliciarum praetor arb. *O. Muellerus* stlitis uindiciarum p. a. *Kellerus Proc. civil. p. 29 n. 108.* praetor *seclusi.* tris *Vat. 1 2:* tres *ctt.* aeris *mg. Aug.* eorum arbitrio *Ursinianus:* eorum arbitrii *Vat. 1 2 Ed. Aug. om. in hiatu Victor. Ante* fructus *lacuna nulla in Vat. 1549 et Ed. Aug.* reus *(cum Marcilio) s.* possessor *suppl. Muellerus.* rei *Huschkius.* factus d. damnum decidet *Victor.*

6. (5.)

Liuius VII 17, 12. 'interrex Fabius aiebat in duodecim tabulis legem esse, ut quodcumque postremum populus iussisset, id ius ratumque esset.'

---

6. Liuius IX 34, 6 'Nemo eorum duodecim tabulas legit? nemo id ius esse, quod postremo populus iussisset, sciit?' ib. 33, 8 'quia post illos censores creatos eam legem populus iussisset quodque postremum iussisset id ius ratumque esset, non tamen .... teneri ea lege posse.'

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA.

1.

Festus p. 166 M. 'Nanxitor in XII nactus erit, praenderit' (nancitor *cod. corr. O. Muellerus.* nancsitor *Corssenus de Enunt. I 5 II 38 obloq. Mommseno Mus. rhen. XV 464*).

cf. p. 277 renancitur. *In fr. V 5 immerito receperunt Frehero auctore Gothofredus et Dirksenus, ad XII 2 (1) refert Brunsius Fontes iur. Rom. ant. p. 15.*

2.

Festus p. 258 M. (cf. Paulus p. 259) '*Quando cum graui uoce* pronuntiatur, significat *quod, quoniam, et est coniunctio, quando acuto accentu est* temporis aduerbium . . . in XII quidem cum e (c *Urs.* d *Muell.*) littera ultima scribitur idemque significat.'

3.

Festus p. 309 M. 'Sub uos placo in precibus fere cum dicitur, significat id quod supplico, ut in legibus transque dato et endoque plorāto.'

id. p. 352 '*Trans dato nota*uit Aelius in XII sig*nificare tradito.*'

Ad IX 4 (5) male revocavit Dirksenus p. 499, ad VII 11 Gothofredus. Rectius de tab. VI cogites.

4.

Donatus ad Ter. Eun. III 3, 9 'dolo malo haec fieri omnia] Quod autem addidit "malo", aut ἀρχαϊσμός est, quia sic in XII tabulis a ueteribus scriptum est, aut ἐπίθετον doli est perpetuum' e. q. s.

Ad VIII 20 rettulerunt Gothofr. Dirks.

5.

Cicero de rep. II 31, 54 'itemque ab omni iudicio poenaque prouocari licere indicant · XII · tabulae conpluribus legibus.'

Ad VIII 25 (IX 4) et IX 2 notavit Dirks.

6.

Cicero de off. III 31, 111 'Nullum enim uinculum ad adstringendam fidem iureiurando maiores artius esse uoluerunt. Id indicant leges in XII tabulis, indicant sacratae' e. q. s.

Fr. VIII 23 tribuit Dirks.

7.

Augustinus de ciu. Dei XXI 11 'Octo genera poenarum in legibus esse scribit Tullius: damnum, uincula, uerbera, talionem, ignominiam, exilium, mortem, seruitutem.' (id. Isidor. Or. V 27.)

* 8.

Plinius N. H. VII 60, 212 'Duodecim tabulis ortus tantum et occasus nominantur, post aliquot annos adiectus est et meridies' e. q. s.

9.

Gaius Inst. I 122 'Ideo autem aes et libra adhibetur, quia olim aereis tantum nummis utebantur, et erant asses, dupondii, semisses et quadrantes, nec ullus aureus uel argenteus nummus in usu erat, sicut ex lege XII tabularum intellegere possumus' e. q. s.

Ad VIII 11 not. Dirks. cf. Mommsenus de re nummaria Rom. p. 175 sq.

10.

Gaius l. V ad legem XII tabb. D. 50, 16, 237 'Duobus negatiuis uerbis quasi permittit lex magis quam prohibuit; idque etiam Seruius animaduertit.'

* 11.

Id. l. VI ib. 238 § 1 'Detestatum est testatione denuntiatum.'

* 12.

Sidonius Apollinaris Ep. VIII 6 'Per ipsum fere tempus, ut decemuiraliter loquar, lex de praescriptione tricennii fuerat proquiritata.'

Asterisco * notavi ea fragmenta quorum dubiam esse fidem iudicem.

INDICES

I .

CONSPECTVS FRAGMENTORVM

DE QVIBVS IN PROLEGOMENIS AGITVR

II

INDEX RERVM

QVAE IN PROLEGOMENIS TRACTANTVR

III

INDEX VOCABVLORVM

QVAE IN PROLEGOMENIS ILLVSTRANTVR

IV

SCRIPTORVM LOCI EXPLICATI ET EMENDATI

Locis meo periculo emendatis stellulam adposui

V

INDEX VERBORVM LEGIS

Quae e coniectura vel aliorum vel mea recepi, stellula affixa significavi, quae a XII aliena visa sunt, uncis, quae addenda, parenthesi inclusi.

CORRIGENDA

p. 21	l. 22, 23	corr.	instructis — adiutis.
27,	25	„	falluntur.
46,	30	„	lucum.
49,	32	„	VIII 7.
62,	7	„	VIII 11.
78,	15	„	XX 1, 12.
82,	7	„	ad *pro* ed.
	8	„	Flumen Padi.
85,	33	„	suorum — funeit.
108,	8	„	de leg. II.
124	Test. l. 8, 9	corr.	ἄλλα τε γὰρ πολλὰ — ἐδέδοτο.